



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1869**

De S. Mummolino Seu Mommoleno Episcopo Noviomensi Et Tornacensi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67915)

A

D

## DE S. MUMMOLINO SEU MOMMOLENO

## EPISCOPO NOVIOMENSI ET TORNACENSI.

## COMMENTARIUS PRÆVIUS.

## § I. S. Mummolini sacra memoria, biographi, et gestorum synopsis.

PROBABILIS  
ANNO  
DCLXXXIII.B  
S. Mummolini  
gesta jam  
illustravit  
Ghesquierus,

C

**E**ruditis atque bibliophilis cognitum est opus, quod Acta Sanctorum Belgii selecta inscribitur. Josephus scilicet Ghesquierus, qui plures annos Actis Sanctorum Bollandianis illustrandis vacaverat, hujus novi operis in se suscepta provincia, anno 1783 primum volumen edidit, quod quinque alia sequentibus annis secuta sunt. Cum autem in hoc condendo opere, tum ex monumentis sinceris, ita fert titulus, necdum in Bollandiano Opere editis, tum ex vastissimo illo Opere servata primigenia scriptorum phrasi colligendo, ordinem temporum, non autem kalendarii observaverit, plures obvios sibi habuit Sanctos, de quibus Bollandiani, socii nondum dixerant. Qualis est S. Mummolinus, cujus festum die XVI Octobris agitur, et cujus Vita proinde hoc loco a nobis quoque edenda est. Licet Ghesquierus, et qui ei postmodum dati sunt socii Smetius et Thysius, ita illustrarunt Sanctorum Belgii Acta, ut propius Bollandiani Operis vestigia sequerentur, atque adeo pristinos Commentarios recedendos curarent, et cum novæ prorsus elucubrationes condendæ forent, Bollandiana fere uterentur methodo, non tamen est quod purum Ghesquieri opus de S. Mummolino denuo typis subjiciamus. Etenim, si imitaremur eum ipsum, qui Bollandianis Commentariis annotationes suas subjungebat, scriptio exhiberetur lectori, a reliquo opere omnino diversa; dein cum Ghesquierus non tantum S. Mummolini Vitam, quam præ manibus habebat, justo minoris fecerit, eamque propterea non ad calcem sui Commentarii, ut moris nobis est, integram ediderit, sed in frustra desectam partim tantum inseruerit suis disquisitionibus; verum etiam carverit Vitam, quæ cæteris antiquior nobis visa est; sequitur aliam omnino ac laudati hagiographi in eundam nobis viam esse; tertio, (quod illius Vitæ minor æstinatio atque hujus absentia pepererunt,) invertit seu etiam subvertit, incertis innixus rationibus, non exigua S. Mummolini gesta, quæ tamen in omnibus antiquis, quæ de hoc Sancto supersunt, adstruunt monumentis; quarto demum, cum in Actis Sanctorum Belgii S. Eligii gesta illustrata jam fuissent, mittere potuit Ghesquierus plures de chronologia quæstiones, quæ, ad S. Mummolinum pertinentes, in Vita ejus decessoris Eligii solutæ jam videbantur; verum cum S. Eligii gesta ad diem primum Decembris in Opere nostro examinanda erunt, methodo omnino inversa hic utendum nobis est. Atque hæc sunt rationum momenta, quibus ad novum S. Mummolini condendum Commentarium inducti fuimus. Cæterum, ne quod actum est denuo agamus, plura ex ejus scriptione hauriemus; id ta-

(a) p. XLIX.

men sincere observantes, ut nihil exinde describamus, quod non accurate ad fontes retulerimus. Pro more ab annuntiationibus in Fastis sacris exordium ducimus.

2 Licet S. Mummolinus, quem et Mommolenum vel Mommolinum probati scriptores et recentiora Officia ecclesiastica nuncupant, antiquissimis temporibus pie cultus fuerit, omiserunt tamen ejus nomen martyrologi classici omnes. Contra ad præsentem diem ejus meminerunt codex: Ms. Usuardinus Bruzellensis sub nomine Nommolino; Aquicinctinus et alter a Molano editus sub nomine Nummolino; Usuardus Greveni, Mammolinum referens; et Hagiologium Ms., quod in bibliotheca Ambianensi servatur, Mummolanum. Martyrologium vero quaecumque Bedæ, in monasterio Lætiensi repertum et de quo Bollandus in Præfatione Generali Actorum Sanctorum (a) sermonem habet, in Novio civitate natale Sancti Mummolini confessoris annuntiat; similemque memoriam habet codex noster Ms. Usuardinus Bigardensis. Martyrologium, quod vulgo Canisio adscribitur, in Nummolino dicendo consonat cum Usuardo Molani; et Saussnyus, Galesinus, Castellanus, Martyrologium Ebroicense, Ferrarius, auctores Martyrologii Parisiensis, Miræus in fastis Belgicis et Burgundicis, Molanus in Natalibus SS. Belgii Nummolinum et Nommolinum quidem excludunt, at cæterum varii sunt in scribendo nomine; demum ex Monasticis Wion in Ligno Vitæ et Hugo Menardus in Martyrologio Benedictino S. Mummolinum quoque Sanctis suis accensent: in quibus fere omnibus, præmissa annuntiatio Lætiensis titulo episcopi aucta occurrit. Simili memoriæ subdit gestorum compendium laudatus Molanus; « seu si mavis, inquit Ghesquierus, Petrus Lawvius qui Molani schedas miscellaneas supplevit et concinnavit: » et alterum atque paulo longius encomium ex Iperio Sam-Bertiniano annalista et Joanne Cognato, historico Tornacensi, S. Mummolini memoriæ attexuit Miræus. Utrique recitando supersedeo. Quod vero pertinet ad varias Sancti nostri nomen scribendi formulas, præplacuit Mummolinus, in vetustissimis monumentis usitatior norma; licet Mummolenus, Mommolinus similesque formæ damnari nequeant. In antiquis historiis non rarum est eundem virum jam Mummolinum, jam Mummolum nuncupari; unde liquet idem nomen eas esse appellationes. Reliqua vero, quæ pertinent ad loca et dies, quibus olim colebatur aut etiamnum colitur Mummolinus noster, explicabuntur alibi.

3 Quæ præ manibus haberet Ghesquierus S. Mum-

molini

E  
vario nomine in Fastis sacris nuntiat;

F



A  
et ex Vita S.  
Eligii de-  
sumptus est.

6 Quod si originem inspiciamus istius prologi, qui excerptus est ex Vita S. Eligii (a) facile reperimus hæc ita a biographo intellecta fuisse. In hac scilicet Vita leguntur hæc, prologo illi omnino similia, verba: Licet ei (S. Eligio) ratio temporis non potuerit præstare martyrium, gloriam tamen Martyris non amisit, quia pro spe æternitatis jugiter laboravit; verum si ei Neronianis Decianisque temporibus in illa, quæ tunc extitit dimicare congressione licuisset, securus dixerim, sponte equuleum ascendisset, et ultro se pro Christo ignibus intulisset, libensque palmam sanguinis occupasset; sed quamquam ista non tulerit, implevit tamen etiam sine cruore martyrium, dum fortitudine roboratus, in vigiliis sedulus, in jejuniis assiduus, fidem servando, cursum consummando repositam sibi a Christo justitiæ coronam quotidie expectabat restitui: tanquam speculator etenim a Domino constitutus, prædicabat verbum cum omni auctoritate. Quæ verba cum biographus indubie præ oculis habuerit in scribendo prologo, fieri non potest, ut attulerit S. Mummolini in Gallias adventum regno Clotarii tertii: nam cum citata verba in parte I libri II reperisset, paulo superius initio ejusdem partis I de S. Eligio legerat: Fuerat quoque de temporibus Lotharii mediani (II) mansueti regis Francorum, et toto tempore Dagoberti incltyi principis, necnon et Clodovei filii ejus, et usque ad initium regni junioris Lotharii mansit in corpore. Aliunde vero noverat S. Mummolinum solummodo postquam annos plurimos primum Luxovii, dein in aula regis, postea in ministerio sacro cum S. Audomaro, et tandem in Veteri Sithivensique monasteriis versatus esset, successisse S. Eligio, qui ipse initio regni Lotharii, filii Clodovei seu Ludovici, vita defunctus erat: quomodo ergo quis vellet biographum in prologo illo retulisse S. Mummolini accessum in Gallias ad hujus Lotharii tempora?

Non solum Vita antiquiores, sed illa ipsæ, quæ recentiores videntur, non tantum ad sæculum X,

C

7 Ut ut id esse queat, certum est, quod annotare prætermisit Ghesquierus, ipsas Vitas, quæ recentiores habemus, utpote stylo minus horridas, adjunctis quibusdam non rectis auctores aliaque id genus, non tantum certum est, inquam, eas sæculo decimo exeunte antiquiores esse, verum etiam ad sæculum octavum forte, centum scilicet post S. Mummolini obitum annis, referendas videri. De monasterio nempe duodecim Apostolorum, a S. Godeberta quoque agnominato, juxta quod sepultus fuit noster antistes, agentes: Quo in loco, habent, ad militandum Deo et Sanctis suis congregatio statuta est monialium. Ast id cœnobium ante annum 989, quo Liudulfus, ab anno 977 Noviomensem cathedram occupans, supremum diem obiit, sanctimoniales non cepit, ut constat ex Guidone thesaurario apud Vassorium (b): Liudulfus adeptus est sedem pontificalis honoris, cui præsedit duodecim annis; auxit quoque bonis canonicorum Betonis Curtem in Noviomagensi pago, cum Atramentaria, et omni integritate, necnon et judiciaria potestate. Dedit etiam abbatiæ S. Godebertæ partem thelonæ, quam jure episcopali tenebat, et alias necessarias res thelonæ, unde solvuntur in festivitate Sanctæ Godebertæ decem solidi; ipsamque ABBATIAM postea per privilegium apostolicum USIBUS CANONICORUM, CUM OMNI INTEGRITATE, CONCESSIT. Hujus dies obitus non. Novembris habetur, et ante altare Salvatoris in ecclesia S. Mariæ est sepultus. Neque rediit deinceps idem cœnobium in monialium potestatem; sed penes seca-

(a) Lib. II, part. I, cap. III, Act. SS. Belgii select., t. III p. 231. — (b) p. 732 citat. in Gall. Christ., t. IX, col. 993. — (c) T. IX, col. 1094. — (d) Mémoires pour servir à l'his-

ginta Noviomenses canonicos fuit, donec in parœciale templum mutatum est: qua de re consulenda est Gallia Christiana (c), et opus Colliette de Veromanduensi historia (d).

8 Verum et alius ascendere licet: Vitæ quippe omnes, rationem reddentes, cur S. Mummolinus extra Noviomuros sepultus fuerit, hac aut simili utuntur locutione: Quia vero civitas vivorum dicitur, non mortuorum, a discipulis suis post multam lacrymarum effusionem, extra muros ante portam aquariam, in ecclesia Sanctorum sepultus est Apostolorum; unde manifestum est has omnes Vitas conscriptas fuisse, priusquam mos obtineret sepeliendi intra urbium muros ipsos episcopos. Ignoratur quidem quo tempore hic mos Noviomum inductus sit; nam etsi constat Gislebertum Noviomensem præulem anno 782 adhuc extra muros in SS. Apostolorum templo conditum fuisse (e), anno vero 936 Walbertum in dextera parte chori templi Noviomensis intra civitatis muros sepultura fuisse donatum (f), atque inde colligi possit hunc merem Noviomum anno 782 recentiore et anno 936 antiquiore fuisse, nihilominus sesquisæculum interlabitur, quo quid in hac re hic factum sit, ex certis monumentis manifestum non est. Verumtamen quam maxime probabile videtur Noviomenses ceteros imitatos fuisse, et proinde sæculo forte VIII exeunte civitatem non vivorum tantum, sed etiam mortuorum, episcoporum saltem, dictam fuisse. Et certe quis crediderit, auctorem ullum sæculo nono scripturum fuisse, quæ in hac S. Mummolini Vita de sepeliendi more dicuntur, cum per plurima concilia expresse jam liceret reges, episcopos, abbates aliosque altioris subsellii viros iis in locis sepelire, in quibus antea vetitum esset? Præ cæteris de hoc usu adeundus est Selvaggius in Antiquitatum Christianarum institutionibus (g). In confirmationem autem hujus nostræ de vetustate S. Mummolini Vitæ opinionis veniunt et alia dicta, quæ in recentioribus Actis ita sonant: Conditus est... miles Christi scilicet juxta monasterium (de quo supra dicimus), quod jam dudum ad honorem duodecim Apostolorum a sanctissimis viris FUNDATUR; quæ ultima vox significare videtur tempore S. Mummolini biographi ad perfectionem nondum deductum fuisse id cœnobium, quod primitus a S. Eligio conditum fuerat; et proin, quantum fieri licet, approximanda est biographi ætas ad S. Eligii successoris tempus. Ex his itaque consequens fit, ut S. Mummolini Vitæ scriptor subæqualis dicatur, ejusque ne deseratur narratio, nisi manifestus ad id compellat error.

9 Ut vero lector paucis sciat, quæ S. Mummolini admittenda videantur gesta, lectiones de hoc Sancto proferam, quæ olim in ecclesia cathedrali Morino-Boloniensi die XVII Octobris (dies enim XVI festo S. Wulfranni, et XV festo dedicationis ecclesiarum impediatur) recitabantur. Licet enim lectiones Tornacenses propius ad eas accedant, præferendæ visæ sunt Bolonienses, quoniam ob suppressionem episcopalis sedis interitioni magis obnoxie sunt. LECTIO IV: Beatus Mummolinus Constantiensis, Luxovio, ubi diu (aliquot annos) monachi vitam egerat, digressus una cum Bertino et Bertranno in Galliam venit. Qui assidua verbi Dei prædicatione, vitæ ac conversationis puritate, tantam sui famam concitaverunt, ut Chlotario, qui tum apud Francos rerum potiebatur, facile innotescerent. A quo in aulam invitati, magnum in palatinis reliquoque populo, quos diu verbo excoluerunt et exemplo, fructum fecerunt. Ex quibus multos a

D

sæd ad sæculum VIII referendæ videntur.

E

F

S. Mummolini gesta paucis exponuntur ex Breviario Boloniensi

toire du Vermandois, t. I, p. 520. — (e) Gall. Christ., t. IX, col. 978. — (f) Ibid., col. 901. — (g) Lib. II, part. I, app. § III, t. III, p. 259. Edit. Mogunt.

terrenarum

A terrenarum rerum curis, et amore sæculi avocatos, ad æternæ vitæ meditationem incitaverunt. Unde miro affectu amabantur a populo et honorabantur a clero.

quod præ cæteris

10 LECTIO V. Verum Sancto Audomaro, sodali quondam suo, Morinis dato episcopo, rati, quod res erat, pro multitudine messis operarios illic esse paucos, ipsum adeundum statuerunt. A quo perbenigne suscepti, tamquam cooperatores cœlitus destinati in excolenda vinea Domini strenuam operam navaverunt. Confluentibus autem undique viris religiosis, cum monachorum habitacula ædificassent, Mommolinus a Beato Audomaro illis præpositus, exemplo magis quam verbo, suis ad studium perfectionis præire voluit. Nam post diuturna jejunia, vix pane hordeaceo, eoque cineribus consperso, et aquæ potu lachrymis temperato, corpus reficiebat. De crastino nunquam sollicitus, quidquid in stipendium prædicationis offerebatur, mox in pauperes erogabat. Infirmis undique ad se venientibus medelam adhibebat: leprosos non exhorrens, quorum ulcerosa membra balneis refolvebat.

B accurate ea exhibet,

11 LECTIO VI. Interea Eligio Noviodunensi episcopo vita functo, Mommolinus ob insignem vitæ sanctimoniam, et romanæ teutoniceque linguarum peritiam, in locum ejus sufficitur, licet invitus, nec nisi præcepto. Magna sollicitudine ecclesiam Noviomensem, necnon alteram, quæ tunc conjuncta erat, Tornacensem viginti sex per annos administravit, nullis parens laboribus, animarum juxta et corporum medicus; viduarum et inopum perpetuus patronus. Tandem mortem diu concupitam vicinam præsentiens, mandat corpusculum in communi cœmeterio (?) exiguo condidit sarcophago. Ingravescente vero morbo, nec tum ab oratione, et divinæ laudis officio cessabat, donec sumpta Eucharistia, inter gratiarum actiones, et verba orationum, decimo septimo kalendas Novembris anni sexcentissimi octogesimi quinti (?), spiritum exhalavit. Quem multis a morte miraculis Deus illustravit.

necnon ex synopsi Ms. hausta ex Vita S. Audomari;

C

12 Aliam S. Mummolini Vitæ synopsis, e Ms. codice descriptam, edidit Ghesquierus. Hujus synopses apographum correctius illo, quod laudato hagiographo præluxit, ad manum nobis est. Mentio in ea non fit de S. Mummolini commoratione in aula Clotarii, eamque propterea plurimis laudavit ille meus decessor; at cum in ea quoque omittatur S. Mummolini vita monastica, acta Luxovii, atque de duplici hoc facto in prima et tertia Vita S. Audomari, quas ad 1x Septembris publici juris fecit noster Stillingus, omnis quoque notitia desideretur, et cætera, quæ in synopsi sunt, præter hæc verba: agente rege Lothario, in Vita S. Audomari multo latius explanentur, liquidum atque manifestum est abbreviatorem hunc unicus S. Audomari gestis usum esse ad laudandum S. Mummolinum. Porro en synopsis ista juxta melius ecgraphum. Inscritur Vita S. Mommolini episcopi, et sic sonat: Beatus Mommolinus de civitate Constantia prope Renum originem duxit. Hic cum duobus aliis Bertino scilicet et Bertranno peregrinationem arripiens, tandem Sanctum Audomarum episcopum apud Morinum adiit. Cui \* cum eum una cum comitibus honorifice suscepisset, et eis ad quietius servendum Deo monasterium construxisset, et Mommolino dicti loci regimen injunxisset, idque vir Dei per annos multos laudabiliter gubernasset et interea Sanctus Eligius ab hoc sæculo emigrasset, Mommolinus in Noviomensis civitatis episcopum, agente rege Lothario, subrogatus, ea

\* lege Qui

quæ tale decet \* officium excellenter exercuit et plebem sibi a Domino commissam rite rexit. Cumque dictæ civitati in episcopo xxvii annis præfuisset, et obitum suum in spiritu prævidisset, admonisset quoque suos ad observantiam celestium præceptorum, ac saluterum corporis et sanguinis Christi vaticum accepisset, inter gratiarum actiones et orationes spiritum exhalavit, ac xvii kalendas Novembris ad superos evolavit. Sit nomen ejus benedictum in sæcula, qui Sanctum suum in terra mirificavit, et in cœlo sine fine mirabilius glorificavit. Amen. Inquisivit jam Ghesquierus quis hujus epitomes concinator fuerit; idemque nosmetipsi fecimus; at operam nostram frustra collocatam fuisse cum laudato hagiographo fateri cogimur. Suspiciatur ille fuit eandem præluxisse Iperio, qui ante annum 1383 Sam-Bertinianum Chronicum conscripsit.

13 At cum Iperii Chronicum sæpius in testimonium adhibitori simus, audiamus de eo Ghesquierum, in hæc disserentem verba: " Vidit quamdam S. Mummoliani Vitam Joannes Iperius... eamque authenticis scriptis annumeravit, prout videre est in ejus prologo, tom. III Thesauri Anecdotorum Martenei vol. 448, ubi de laudato Chronico in hunc modum loquitur: Præsens opusculum ex multis voluminibus scriptisque authenticis grato labore collegimus, sumendo de quolibet quod ad propositum spectare visum est, nihil inserendo quod non AUTHENTICIS SCRIPTIS APPROBETUR. Collegimus enim ex legendis Sanctorum Bertini, Audomari... MOMMOLINI, et plurium aliorum. Verum an Sancti nostri Vita, quam authenticam ipse vocat, sit ea ipsa antiquior (synopsis scilicet), a qua præfata abest lacina; num contra interpolata, dubitare quis ex eo possit, quod Iperius parte v col. 458 narret, Bertinum, Mummolinum, et Bertranum venisse in Franciam verbum vitæ seminantes, a rege Clotario honorifice receptos, et post longum temporis intervallum adisse S. Audomarum, tunc Morinensem episcopum. Attamen cum hæc aliunde haurire potuerit Iperius, nimirum ex ea S. Bertini Vita, quam post Mabillonium Cointius et Pagius Folcardus tribuerunt, Stillingus vero compilatori cuidam anonymo; nihil credere vetat S. Mummolini Vitam, quam Iperius authenticam vocavit, antiquiorem illam esse minimeque interpolatam de qua supra egimus " (cum Ghesquierus scilicet citatæ synopsis originem investigare voluit). In quæ verba annotandum prius, synopsis hanc post reliquas Vitas omnes inter authentica scripta referendam esse, cum ex S. Audomari Actis, ut diximus, luculenter desumpta sit; dein quod culpatur Iperius, non secus ac si dixisset S. Mummolinum venisse ad S. Audomarum, postquam jam pridem cum Clotario III egisset (nam quem Clotarium meminit Iperius, hunc satis audacter Clotarium III interpretatur Ghesquierus) eum sequenti § a crimine liberare tentabo. Verumtamen ii non sumus, qui ubique Iperii tueamur partes: nam, ut in Commentariis de S. Audomaro et de S. Bertino decessores nostri observarunt sæpius, hæsitat frequenter erratque in annis, quod summorum Pontificum et regum Francorum annos cum æræ Christianæ annis recte componere non novisset.

D sic in utroque apographo; lege de-centi melius in altero apographo xxvi; ubi contra deest annis

quam Ghesquierus præluxisse credit Iperio, de quo pauca animadvertuntur.

E

F

A

§ II. S. Mummolini ortus; vita monastica acta Luxovii; prædicatio in Gallia, et in aula Clotarii II; condit Vetus et Sithivense monasteria, quibus præficuntur.

S. Mummolini patria, tempus natale, monastica vita Luxovii acta.

**J**am singula S. Mummolini gesta illustraturi, ab ejus ortus adjunctis exordimur. Porro eum in ipsa urbe Constantiensi, in Germania prope lacum Bodamicum seu Constantiensem sita, mundo editum fuisse, tradunt Acta ejus manuscripta; idemque SS. Audomari et Bertini Vitæ satis innunt. Statuit Stillingus (a) S. Bertinum, ejus sodalem, inter annum 600 et 610 fuisse natum; cui libenter assentior, ad annum tamen 600 magis quam ad annum 610 inclinans. Præterea (b) cum Cointio (c) eundem Sanctum juniorem S. Mummolino facit; quod, cum ex universa horum Sanctorum vitæ serie absque dubio rectum sit, S. Mummolini natale tempus circa exiens sæculum VI ablegatur oportet. Hunc vero Sanctum ex tam nobili stirpe progenitum fuisse, ut originale nativitatibus suæ lineam coram Clotario II retineat, ne recensendo prosapiam suam quolibet superbiam fastu moveretur, ex ejus Vitæ Mss. colligere est. Ex iisdem fontibus novimus et ex Iperio eum sub S. Eustasio Luxoviensis monasterii abbate, Sanctique Columbani discipulo, vitam monasticam duxisse, atque adeo religiose vitæ ejus exordium statui debere aliquandiu ante annum 625, quo S. Eustasius, uti in hujus Vita (d) videre est, e vivis excessit. Stillingus in Commentario de S. Bertino (e) partim ex conjectura, partim nitens Vitæ SS. Mummolini, Audomari et Bertini, affixit hoc exordium fini S. Eustasii vitæ; æquidem animadvertens S. Bertinum Luxovium venisse, cum puer esset, nihil video quod obstet quin annus circiter 614 SS. Mummolini, Bertini et Ebertramni disciplinæ assignetur: atque his admissis nihil occurret, quod non tantum non pugnet cum S. Bertini Vitæ et Iperii Chronico, verum etiam quod consonum non sit Vitæ S. Mummolini, ubi sic ad Clotarium II ipse S. Mummolinus loquitur: A puero.... regularem sub sancto Eustasio abbate percurri vitam. Quamdiu vero illic manserit Sanctus noster cum sociis, incertum est; ut ne ab his, quæ in S. Mummolini Vita innuntur, discedamus, sufficit ut eos Luxovio aliquandiu ante annum 628 deducamus. Atque hic loci duo notanda: sunt prius scilicet, e tonsura bicorni aut hibernica, quæcum S. Mummolinus in imagine ad calcem Commentarii edenda, depingitur, plurimum confirmari ejus commorationem Luxoviensem, et disciplinam moresque ecclesiasticos illic auditos atque susceptos; alterum, quod notatu dignum quoque est, S. Audomarum, quem jam nominavi et sæpius nominabo, eodem tempore, quo S. Mummolinus, Luxovii versatum fuisse, ut liquet ex ejus Vita ad IV Septembris edita, et ex prævio Commentario Stillingi (f); et proinde in quibusdam de S. Mummolino Officiis recte dici SS. Mummolinum, Bertinum et Bertramnum seu Ebertramnum contubernales fuisse S. Audomari, Luxovii degentis.

**15** Verum jam hic adest unus e præcipuis, quibus S. Mummolini gesta intrincantur nodis: quaritur nempe, quo tempore S. Mummolinus cum sodalibus Bertino et Ebertramno Luxovium reliquerit; utrum, relicto Luxovio, recta tetenderit ad S. Audomarum,

(a) Act. SS. Comment. de S. Bertino, num. 3, tom. II Sept., pag. 556. — (b) Ibid., numm. 35 et 67. — (c) Annal. Eccl. Francor. ad annum 633, § xii. — (d) T. III Martii, p. 784. — (e) Act. SS., t. II Sept., numm. 34 et seq. — (f) Ibid., T. III Sept., p. 386, n. 14 et seqq. — (g)

an vero aliquandiu ante in Gallia concionatus fuerit et in aula Clotarii II versatus; et tertio demum, an post navatam S. Audomaro operam et condita Vetus et Sithivense in Morinorum pago monasteria, in aula Clotarii III degerit. Stillingus in Commentario de S. Bertino (g) responsum dedit ad triplex id quæsitum, statuitque, ut paucis ejus sententiam ex notis marginalibus explicem. Luxovio Bertinum cum Mummolino et Ebertramno non ad prædicandum per totam Galliam, ut perperam aliqui scribunt,.... nec tempore Clotarii III, neque etiam Clotarii II egressum esse, sed vocatum verisimiliter a S. Audomaro, ad quem cum sociis venit circa annum 638 aut 640: unde habemus, auctore Stillingo, cui Ghesquierus consensit, Sanctum Mummolinum anno circiter 640 Luxovium deseruisse, et recta perrexisse ad S. Audomarum; et quod ad tertium quæsitum pertinet, censet ibidem idem hagiographus Sanctum nostrum post duplex conditum monasterium in aula Clotarii III versatum esse. Equidem, cum horum assertorum probationes inquiri, invenio recte demonstratum adversus compilatorem anonymum Vitæ S. Bertini (h), pertinentem ad sæculum XIII (i), quod si S. Mummolinus versatus sit in aula Clotarii III, eum non continuo, postquam egressus esset Luxovio, tetendisse ad hanc aulam, quandoquidem Clotarius ille anno tantum 655 aut sequenti regnum adeptus est, dum scilicet aliquot jam annos in Veteri Sithivensique monasteriis degisset Beatus noster Confessor; at frustra plura, quæ de reliquis quæstionibus probata sint, ibidem investigo.

**16** Ast anonymi illius compilatoris nihil officit, quin adhærere possimus antiquissimis de Mummolino monumentis, seu etiam Chronico Iperii, qui eis consentaneus est. Hic autem: Specialiter, inquit (k), Sancti Bertinus, Mummolinus et Bertramnus, tres viri cultores Sanctæ Trinitatis, talentum Domini nolentes abscondere, vel sine lucro reportare, de Luxovio Burgundiæ monasterio venerunt in Franciam, verbum vitæ seminantes, et a rege Clothario sunt honorifice recepti, ac intra palatium regis cum summa diligentia subrogati. Quæ verba quam erronee Ghesquierus (l) ab Iperio relata crediderit ad regnum Clotarii III, manifestum fit ex his, quæ in eadem jam pridem notaverat Stillingus (m): Quæ anonymus compilator Vitæ S. Bertini, inquit, facta dicit sub Clotario III, id est, multo serius quam ut sint verisimilia; hic (Iperius) sub Clotario II ponit; et quidem Sam-Bertinianus chronologus ita ad Clotarii II tempora vergit, ut ad ejusdem regis imperium referat ipsam etiam, ut loquitur Stillingus (n), traditionem Adroaldi, quæ facta est anno 648, quamque ille mox tamquam anno 626 factam collocat. De hac autem dōnatione quæ Sithivensi conobio initium dedit, dicitur inferius. Pergit autem Iperius, dicta sua potissimum ex S. Mummolini Vitæ hauriens: Post longum temporis intervallum Sanctum Audomarum tunc Morinensem episcopum, cujus compatriota atque consanguineus erat Beatus Bertinus, adierunt tam amore ipsius Sancti, quam quia patriæ linguam, utpote Teutonicæ, bene sciebant: quos Sanctus Audomarus suscipiens, suos in prædicatione statuit esse consortes. Subibant ergo officium legationis suæ labore prædicationis continuæ. Hac usque Iperius; cujus itaque mens fuit: S. Mummolinum, cum sociis Luxovio egressum, divinum prædicasse verbum et ad aulam Clotarii II devenisse ante annum hujus emortualem 628; eos dein

Ibid., t. II Sept., p. 557 et seq. — (h) Act. SS. Ord. S. Benedicti secul. III, part. I, p. 109. — (i) T. II Sept. p. 554. — (k) Thesaur. Anecd. Marianne, t. III, col. 458. — (l) Act. SS. Belgii select., t. IV, p. 395. — (m) Act. SS. t. II Sept., p. 558. — (n) Ibid.

D

E

F

ut aperte habent ejus Vitæ Mss. et Iperius,

post

Fuit S. Mummolinus cum SS. Ebertramno et Bertino ad Clotarium II ante annum 628, et ad S. Audomarum circa annum 640.

A post longum temporis intervallum transisse ad Morinensem episcopum Audomarum; ibique denuo concionibus habendis dedisse operam: unde non intelligo quo pacto stare possit hæc Stiltingi in cita Iperii verba criminatio: Non difficulter, inquit, hæc refutari possunt, cum certo non venerint ante episcopatum S. Audomari, qui cœptus est sub Dagoberto et quidem circa finem vitæ Dagoberti, ut plerique existimant.... Quare propius ad verum accedit, quod ante dixerat Iperius part. II, Bertinum venisse in has occiduas Flandriæ partes (ad S. Audomarum) tempore Severini summi Pontificis, cujus pontificatus totus anno 640 innectitur a Pagio. Cointius ad annum circiter 639 eorum adventum collocat, quod item longe a vero abesse existimo. Ego vero nil video, quomodo secum ipse pugnet Iperius, cum S. Mummolinum ante annum 628 ad Clotarium II, et dein post longum temporis intervallum, seu anno 640 sub pontificatu Severini ad S. Audomarum ducit.

aliis frustra  
altiam chro-  
notaxim ne-  
cientibus:

B 17 Quocirca nullam adesse rationem reor, quare repudianda foret S. Mummolini in Galliis et apud Clotarium II prædicatio, adstructa ab Iperio, et in omnibus S. Mummolini Vitæ; neque proin eam erandam esse, ut eam reapse eraserunt ex Officio huius Sancti, qui Breviarium Sant-Audomarense anni 1785, et Atrebatense anni 1817, hac in re Sant-Audomarense simile, concinnaverunt, sic S. Mummolinum laudantes: (Luxovii) mox adeo virtutibus suis clæruit, ut ad sacerdotium fuerit evectus, et ad ministerium Euangelii omnium votis destinatus. Jam prædicandi Euangelii causa cum sociis suis erat profecturus ad Rhenum, cum statim mutato consilio iisdem comitantibus ad Sanctum Audomarum Tervannorum episcopum ire decrevit. Ab eo benigne exceptus.... Licet Stiltingi auctoritas ad hæc conscribenda nonnihil forte valuerit, abest tamen quin in omnibus eis consentaneus sit: quid enim senserit de prædicatione S. Mummolini et sociorum sequentibus explanat in laudato Commentario de S. Bertino: Nihil credimus, inquit, de adventu Sanctorum illorum ad Clotarium aut ad ejus aulam, nihil de discipulis, qui se eis junxissent, priusquam ad S. Audomarum pervenerant. Verumtamen, cum scriptores ordinem rerum sæpe perturbent, fortasse S. Mummolinus vocatus fuerit ad aulam Clotarii III, antequam creatus est episcopus Noviodunensis: quæ autem dicuntur de prædicatione, et de discipulis ad Sanctos hosce confluentibus, verissima sunt, si facta credamus eo tempore, quo populum pagi Morinensis cum S. Audomaro excolebant; atque eo etiam tempore quidam e proceribus palatinis ad eos subinde venire poterant. Quibus suspitionibus ita suffragatur Ghesquierus (a), ut tamen eas aliunde confirmatas vellet. Verum præterquam quod historica monumenta, quæ manifesta fraude non laborant, (qualia sunt S. Mummolini Vitæ.) incertis conjecturis prævalere debent, equidem non reperio aptum temporis intervallum, quo S. Mummolinus versari potuisset aliquandiu in Clotarii III aula, postquam circa annum 640 ad S. Audomarum venisset: ut lector ipse facile intelliget, cum ad alia ejus gesta stylum transtulerimus. Atque ex his manifestum satis est, quid ad tria quæsitæ, num. 15 proposita, respondendum esse ducam: aliquanto scilicet tempore annum 628, quo Clotarius obiisse vulgo statuitur, Luxovio egressus erit S. Mummolinus; cum vero euangelizandi munus perbene obiret, aliisque præcelleret dotibus, in aulam suam et familiaritatem, quin etiam in sigilli sui custodiam eum evo-

caverit Clotarius II; quo demortuo, adhuc decem aut duodecim circiter annos verbum Dei populo prædicaverit, donec circa annum 638 aut 640 perrexit in diœcesim Morinensem ad S. Audomarum; a quo cum ipse et sui socii benigne suscepti fuissent, subierint, ut loquitur secunda Vita S. Bertini a Stiltingo edita, officium legationis suæ labore prædicationis continuæ.

18 Huic chronotaxi binæ tantum opponi posse argumentationes videntur: prior est, biographos S. Bertini, qui ejus annum emortualem assignare tentarunt, statuisse eum vita functum esse anno XV regni Childeberti, qui annus Christi 709 est; Stiltingum (b), auctoritati Folquini, Sam-Bertinianas chartas perlustrati, innitentem, eamdem sententiam (cui libenter ipsi subscribimus) probasse; atque inde consequens fieri S. Bertinum annos circiter 109 vixisse, cum eum ante annum 628 in aula Clotarii II cum S. Mummolino versatum fuisse dicamus, atque tum ei 25 aut plures anni ætatis assignandi sint: porro si displicet consequens, displicere quoque oportere propositiones præmissas, quarum una est hæc ipsa in aula Clotarii II commemoratio. Verum antiquiores historici omnes in longavitate S. Bertini, quem 112 annos vixisse volunt, adstruenda consonant, ut in sæpius laudato Stiltingi Commentario (c) late videre est; atque ipse § XII ad finem sic concludit: Solum de ætate mihi dixisse sufficere, Sanctum vixisse usque ad ætatem omnino decrepitam, quæ a centum annis non longe abesse potest, et hosce etiam superare: defunctum vero esse annis fere septuaginta post primum adventum ad Sanctum Audomarum et constructionem primi monasterii. Quibus si addas tanta senectute involutum fuisse S. Bertinum, ut Rigoberto, et dein Erlefrido vicariis in regimine usus fuerit, non jam erit cur displiceat ætas 109 circiter annorum. Altera, quæ præmissa chronotaxi opponi posset argumentatio, ex eo petitur, quod brevius tum foret tempus, quod S. Mummolinus cum sociis versatus fuisset Luxovii, ubi sanctis disciplinis vacasse videntur. Simile quid innuit Stiltingus (d), culpans Cointium, quod intra sexennium eorum Luxoviensem commemorationem circumscripsit, atque hoc proponit argumentum: Sane tempus sex annorum, quo se in monasterio pararent, justo brevius apparet, cum verisimile sit Bertinum aliosque juvenes fuisse, quando Luxovium venerunt. Verum animadvertendum est id temporis monachos, Anglos saltem et Hibernos, ineunte juventæ sacro diaconatu initiatos esse; cujus assertionis testis est ipse Venerabilis Beda, anno 19 ætatis diaconus factus, et anno 30 presbyter. Cum itaque Luxovio exierint, potuit solus S. Mummolinus, maximus natu, sacerdos fuisse, Sancti vero Bertinus et Ebertrammus tantum diaconi. Cæterum viros apostolicos adjuvare, nonne laudabilis ad sacerdotium præparatio? Præterea de S. Bertino sacerdotio mentio tantum fit, cum jam aliquandiu monasterio Sithivensi præfuisset. Cæterum sex illi a Cointio excogitati anni, facile duplo aut triplo auctiores fieri possunt, quin ulla turbatio chronotaxi nostræ invehatur, cum S. Mummolinus, ut ipse in sua Vita Clotario narrat, et S. Bertinus, ut ex gestis ejus satis quoque elucet, a prima pueritia aut certe adolescentia Luxovium incoluerunt; quo si advenerint anno 614, sufficiens superest intervallum antequam Clotarius II diem obierit. Sed de his satis: jam ad reliqua S. Mummolini gesta progredimur.

19 Quæ ad finem num. 17 memorata fuit prædicatio, parvum tantum temporis spatium duraverit

(a) Act. SS. Belgii sel., t. IV, p. 396, num. 5. — (b) Act. SS., t. II Sept., p. 580. — (c) Ibid., p. 579. — (d) Ibid., p. 557.

oportet.

A  
Postquam in  
agro Mori-  
nensi ali-  
quod tempus  
concionatus  
est S. Mum-  
molinus,  
circa annum  
640 condit  
Vetus mona-  
sterium.

oportet. Antiquissima enim Vita S. Bertini (a) hæc testatur: Sanctus vero Audomarus prædictos Dei famulos gratifice recepit, immensasque omnipotentis Domino gratias agens, qui tales sibi ad prædicandum euangelium adjuutores deduxit. Erant enim præfati viri in fide perfecti catholica, et in ecclesiasticis disciplinis, atque in divina Scriptura eraditi, quas nempe primum, ut notavit Ghesquierus (b), sub S. Eustasio abbate Luxoviensi, et uno aut altero forte dein anno sub Walberto S. Eustasii successore discere poterant. Porro sic pergit S. Bertini biographus: Parvo post hæc temporis spatio transacto, S. Audomarus cum prædictis viris, divina stimulante gratia, monasterium cogitavit in Dei fundare nomine. Ad habitandum enim monachis, divina sibi largiente misericordia, locum habebat aptum... Postquam ergo præfati Dei famuli ad eum pervenerunt, concessit illis, ut monachorum habitaculum ædificarent, ubicumque illis in prædicta placuisset villa. Sancti igitur viri Mummolinus atque Bertinus cum cæteris eorum in Christo sociis monasterium ædificare cœperunt, quod usque hodie Vetus vocatur monasterium. Ex Iperio vero parvum illud temporis spatium intra unius anni limites concludendum est, siquidem (c) S. Bertini adventum in occiduas Flandriæ partes, et (d) constructionem Veteris monasterii pontificatus Severini, qui tantum anno quadragesimo post sexcentisimum Romæ sedit, assignet: quod Stillingus in Commentario (e) de S. Bertino libenter admittit. Verum cum idem hagiographus S. Mummolini adventum anno circiter 638 aut 640 affixerit, magis vagum reliquit tempus, quod S. Mummolinus extra Vetus monasterium populo docendo impenderit. Et quidem cum Iperius frequenter in annis hæsitet atque adeo erret, et præter ejus testimonium nulla ratio me ad dissentiendum a Stillingo impellat, libenter subscribo hujus calculo, bonis rationibus stipato.

20 Porro vetus monasterium, circa annum 640 exstructum, uno circiter milliari ab Audomaropoli exstitit usque ad annum 1497, quo simul cum suis officinis inter bella Gallorum atque Anglorum combustum fuit. Constabat autem illud asceterium ex ædicula et cella, ut habet Iperius; et sæculo XIII in Vita S. Thomæ Cantuariensis, illic profugi, quam scribi jussit Gregorius Papa XI et Christianus Lupus edidit, vocabatur (f) locus abditus, aquis septus, qui ab incolis dicitur Aldemunster, quondam scilicet eremitorium Confessoris Bertini; et similiter ab Iperio in Chronico sæculo XIV nuncupabatur quasi eremitorium. Atque huic per S. Audomarum præpositus fuit S. Mummolinus, ac verisimiliter idcirco, inquit Ghesquierus, quod duobus sociis præfuisset a tempore, quo ex Luxoviensi monasterio simul discesserant, iisque esset et ætate et vita monastica senior. Censet tamen Stillingus, Mummolino, tametsi superior et quasi pater aliorum esset, non tamen abbatis titulum fuisse concessum. Attamen laudatus hagiographus hunc abbatis titulum S. Mummolino, in Veteri monasterio degenti, raptim tantum sine argumentis num. 67 sæpe citati Commentarii negavit; quare auxiliariam manum protendens, Ghesquierus hæc confirmavit scribens: Quod facile crediderim, cum nusquam hunc titulum Sancto nostro in Veteri monasterio degenti concessum inveniam.

(a) Act. SS., t. II Sept., p. 587. — (b) Act. SS. Belgii select., t. IV, p. 395. — (c) Thesaur. Anecd. Martenne, t. III, col. 451, cap. i, part. II. — (d) Ibid., col. 458 et seq., cap. i, part. VI. — (e) Act. SS., t. II Sept., p. 559, num. 48. — (f) Christ. Lupi Oper. Omn., t. X, p. 24, lib. II, cap. V. — (g) Act. SS., t. II Sept., p. 560. — (h) Lib. i Donation. piar., cap. III. — (i) T. III, col. 109, inter instru-

21 Equidem aliis argumentis inductus, S. Mummolino in Veteri monasterio versanti abbatis titulum denegandum esse autumo. Primo enim, non sine ratione Iperius Vetus monasterium nuncupavit eremitorium; nam in Vita S. Mummolini, quam antiquissimam habemus, hæc occurrunt: Postquam vero aliquantulo temporis spatio sancti athlete Mommolini sanctorumque sociorum Bertini videlicet atque Bertranni jocundissima confortatus est consociate, (S. Audomarus) VOLENS EOS ULTERIUS AB INVICEM SEPARARI in eadem, quam ei Adrawaldus dederat hæreditate, ad libitum suum cœnobiale fratrum concessit eis monasterium ædificare. Jam vero viris eremiticam vitam agentibus, aut a se invicem separatis, non abbas aliquis, sed vix superior necessarius erat. Secundo, omnes S. Mummolini Vitæ, quæ clare atque manifeste duplici monasterii meminerunt, similiter antiquissima Vita S. Bertini, aperte innuunt, novam præposituram S. Mummolino collatam fuisse in Sithivensi monasterio; cum hæc aut similia asserunt: Confluentibus undique religiosis viris ad prædictos Dei famulos, Beatus Audomarus Mummolinum multitudini præposuit monachorum. Unde consequens est, antea S. Mummolino abbatialem non fuisse potestatem, quæ tum solebat esse perpetua. Tertio, in charta traditionis Adroaldi, quæ integra legi potest apud Stillingum (g), apud Miræum (h), in Gallia Christiana (i), apud Coitium (k), apud Brequigny (l), qui eam publicavit partim ex autographo, partim ex chartulario x sæculi (m), apud Cl. Guérard ex eodem chartulario (n), et cujus pars edita est in Dissertatione de origine monasterii S. Bertini (o), et in ejusdem operis confutatione (p), hoc exordium exstat: Dominis sanctis patribus Bertino, Mommoleno, Ebertrando, ego in Dei nomine Adroaldus, etc. Novi quidem vulgo consentire criticos in hoc exordio a Folcuino corrupto dicendo, (nam initium autographo (q) deest) eosque statuere Mommolinum ante Bertinum legendum; verum id quoque persuasum esse debet monachos Sam-Bertinianos nunquam immutatos fuisse hoc pacto hujus chartæ initium, si ullo titulo S. Mummolinus a sociis distinctus fuisset. Quis vero crediderit omnem titulum abfuturum fuisse, si S. Mummolinus gestasset abbatialem pedum, cum hoc confectum est diploma, scilicet priusquam ad Sithivense monasterium transmigrasset? Ex his præterea intelligitur Vetus monasterium istis temporibus habitaculum tenuissimi momenti fuisse.

22 Cum Stillingo num. 53 redeo ad ordinem gestorum... In eo loco paucis morantes annis, octo forsitan aut decem, non vero annis quatuordecim, quantum apparet, divina eis suadente gratia, alium voluerunt eligere locum. Ratio mutandi loci fuit, quod crescente monachorum numero, prior locus nimis esset angustus; quodque Adroaldus jam permotus esset a S. Audomaro, ut bona sua sineret impendi, novaque donatione traderet ad monasterium istud (Sithivense) ædificandum ac censu congruo stabiliendum. Cum vero de eligendo apto loco ageretur, Dei numini negotium creditum fuisse narrant tres S. Mummolini Vitæ, quæ in lectiones distributæ non sunt; tres vero aliæ, quæ divini Officii pars fuerunt, narrationem hanc omittunt; quæ ommissio an simpliciter brevitatis causa obtineat, definire non audeo. Atta-

menta. — (k) Annal. Eccles. Francor. ad annum 648, § xxx. — (l) Diplomata, etc., ad res Franciscas spectantia, t. I, num. cxii, p. 203. — (m) Ibid. prolegomen., p. lxxii et seq. — (n) Cartulaire de l'abbaye de S. Bertin, p. 18. — (o) Dissertat. hist. et crit. sur l'orig. de l'abb. de S. Bertin, p. 3 et seq. — (p) Vérité de l'hist. de l'Église de S. Omer, p. 77. — (q) Brequigny et du Theil Proleg. lxxiii.

D  
ut triplici  
argumento  
excipitur;

E

alti legunt  
presbyteris;  
sed male

F

octo aut de-  
cem annis  
post, Deo du-  
ce, ut quidam  
voluerit,



A men hæc eadem narratio occurrit in Vita antiquissima S. Bertini, aut (quod idem est, quoniam Vita S. Bertini illigabatur Vita S. Audomari) in Vita S. Audomari, et verba Vita S. Mummolini eadem hic fere sunt ac in Vita SS. Audomari et Bertini; unde patet hanc laciniam ex una in alteram relatum fuisse. Præterea in Proludiis quæ ex codice Sant-Audomarensi præmisit Cl. Guerard Sithivensi chartulario, et in quibus SS. Bertinus et Ebertrammus S. Mummolini subjugales perhibentur, hæc concinuntur :

Angelico remigio  
Ductus est huc navigio;  
Adversos fluctus superat,  
Ad locum quando properat  
Bertinus, quem elegerat  
Dei Providentia.

Quo vero tempore Sithivense monasterium constructum fuisse censendum sit, ex præmissis liquet: Veteris enim monasterii constructionem cum Stilingo ad annum 640 retulimus; cui tempori si octo aut decem superaddantur anni, quos in Veteri monasterio commorati fuerint S. Mummolinus et socii, annus 648, aut 650 assignandus erit, ut tempus quo Sithivense monasterium, dein monasterium S. Bertini nuncupatum, inchoatum erit. Hæc chronotaxis discedit a supputatione, quam Mabillonius et Cointius secuti sunt; quin etiam a calculo Auctarii Sithivensis Chronici Sigiberti Gemblacensis, ubi fundatio hujus monasterii ad annum 640 (a) refertur, et ab ordine temporum assignato ab Iperio, (si annos spectes,) qui Vetus monasterium anno 626, Sithivense anno 640 ædificatum fuisse statuit; quibus addendi sunt Cl. V. Emmanuel Wallet ejusque socii, qui, anno 1834 pristinae Abbatia S. Bertini descriptionem publici juris facientes, Iperio adhæserunt. Verum variæ hæc chronotaxis ita a Stilingo diruta fuerunt in suo de S. Bertino Commentario, ut nonnemo forsitan mirabitur eas resuscitatas fuisse a perdoctis viris, qui hac Stilingi lubricatione usos se fuisse testantur (b). Attamen excusationem eruere eis licet ex laudibus, quas Martennius, Iperii editor, hujus annalistæ Chronico præfixit; sed laudes illas exaggeratas esse, et Iperium in annis continuo errare, quoniam male annos Christi cum annis regum componeret, § III citati Commentarii patefecit laudatus hagiographus. Verumtamen, quod errores Iperii multum minuit, plerumque juxta annos alias notas chronologicas ponit. Cujus rei specimen superius jam dedimus; en aliud simile, quo proposita a nobis chronotaxis non nihil firmatur; parte scilicet VI, cap. 1 § 3 (c) annectit Iperius S. Mummolini ad Sithivense monasterium adventum tempori, quo præsidebat tunc Ecclesie Dei Martinus Papa primus. Verum hic non ab anno 640 sedit, sed, ut in Propylæo Maii (d) videre est, anno tantum 649 ordinatus fuit. Quod mirum est, Martennius in notis mutat pontificum et regum nomina, ut numeros annorum, absque dubio perversos, servet intactos.

23 Rationem vero mutandi loci assignavit superior Stilingus ex (e) Iperio, et sæpe citatis SS. Audomari, Bertini et Mummolini biographis, dicens eam Veteris monasterii angustias fuisse pro numero confluentium monachorum. Aliam præterea, inter multa scitu digna, assignant prælaudati abbatia S. Bertini descriptors: qui cum plerique indigenæ et antiquitatis studio polleant, in pretio ha-

condit Sithivense monasterium in loco, qui, qualis tunc esset, hic describitur ex recenti opere de abbata S. Bertini,

(a) Pertz Monum. Germ., t. VI, p. 442. — (b) Description de l'abbaye de S. Omer, p. 6. — (c) Thesaur. Monu-

enda sunt eorum dicta; quæ ita latina facio (f): Mummolinus, Bertinus et Bertrandus prius sedem suam fixerunt in colle, qui inter montes Sithiu et Watten ad latus fluvii Agnionis (gallice Aa) assurgit, atque etiamnum tumulus seu clivus S. Mummolini (Motte de St. Mommelin) audit. Quod ibi fundaverunt eremitorium, brevi in monasterium excrevit. Monachorum multitudo atque loci insalubritas coegerunt S. Bertinum ejusque socios aptiores sibi quærere sedem; cuius electionem crediderunt Dei providentiæ. Navicula eorum temere sulcabat stagnum, aquis Agnionis, quas maris fluctus refundebant atque propulsabant, impletum. Erat autem hoc stagnum pristini Sithivensis sinus reliquæ et imago. Cum enim Agnionis alluvio et palustrum silvestriumque germinum putrida agglomeratio (tourbes) hujus sinus fundum altius eduxissent, perrexit fluminis cursus verberari æstu maris, terras per fretum Watten ultra montem Sithiu incurrentis. Qui rerum status duravit donec cataractæ ad mare sunt constructæ, et fluvius Agnio ejusque brachia in canalem versa sunt. Antequam vero Agnionis alveus hydraulico opere immutatus fuisset, serpebat ille fluvius aut rivus in valle Arquensi et in plura dividebatur brachia, quibus nomen erat Meldiek. Ad vallis fauces confluebant hi rivuli, et ad collem Sithiu, inter paludes, quibus hodiernum nomen de Lizel atque de Magdalena est, prolabebantur. Ad extremum hunc collem aut linguam, rectum cursum rumpebat Agnio, denuo discerpebatur in plures rivulos qui, paludibus de Lizel et Altipontis dissectis, prope hodiernum S. Mummolini fanum aquas iterum miscebant suas. Circa eundem locum (ad Collem Sithiu) affluebat in Agnionem rivulus, hodie S. Clara dictus, aquas devehens exigarum vallium, quæ inter montes a S. Michaeli et des Cravates nuncupatos jacent. Verisimile est S. Bertini naviculam hæsisse, et sæculo VII pristinum Sithivense templum ædificatum fuisse in interno angulo horum confluentium, in æstuario aut aggesto limi, locum refluxu aquæ occupante, atque naviculam vi æstus stetisse.

24 Egreptis his topographicis disquisitionibus unum alterumque adpersum errorem non corrigere mihi nefas est. Fieri non potest ut eremitorium a S. Mummolino exstructum suis temporibus atque brevi in monasterium excreverit; sed id tardius factum sit oportet. Nam præter ea quæ num. 20 hæc de re jam diximus, hæc aut similia fundationi monasterii Sithivensis, non Veteris, quinque S. Mummolini Vita subdunt: Beatus Audomarus Mummolinum multitudinem præposuit monachorum; SIQUIDEM EX EO TEMPORE INITIUM PARVE RELIGIONIS SUMPISIT. Unde colligitur Vetus monasterium non ideo hoc sortitum esse nomen, quod tempore S. Mummolini jam monasterium proprie dictum, et non quasi eremitorium foret; sed quod vetus habitatio esset Sithivensis monasterii fundatorum. Quæ, si expendantur litteræ donationis Adroaldi, de quibus dictum jam est, non nihil confirmari queunt. Alter error in eo est, quod Bertino, non Mummolino, ut reliquorum præposito, Sithivensis monasterii construendi cura assignari videtur. Petitur hic error ex Iperio, recentiores S. Bertini biographos secuto, quos omnes late jam castigavit Stilingus. Quæ vero de insalubritate Veteris monasterii, in rationem mutandæ sedis assignata asseruntur, nescio num strictum patientur examen. Nam

quod, ut egregium, nevos tamen aliquot admittit.

F

ment. Martenne, t. III, col. 460 — (d) p. 100. — (e) Act. SS., t. II Sept., p. 561, n. 53. — (f) Vide p. 6 et seq. et 14.

A *ex ipsa præmissa descriptione loci, ubi Sithivense monasterium conditum fuit, liquet hunc locum tam malignis vaporibus obnoxium fuisse quam Vetus monasterium, in clivo positum. Constat præterea monachos olim non semper salubrium locorum fuisse sollicitos: nam quid hac de re sentiret S. Bernardus, monachos suos ægotare gaudens, ex obviis hujus Sancti Vitæ vitæ notescit. Verum hæc noxæ facile redimuntur topographicis vere doctis annotationibus, quibus imprimis intelligitur, quomodo navicula adversum fluvium subire potuerit (inferius est enim Vetus monasterium), quin remigio aut velis opus fuerit: præ maris æstu scilicet id factum fuisse liquet.*

In Sithivensi S. Petri, dicitur S. Bertini, monasterio sancte cum suis sociis vivit Mummolinus;

25 Cum itaque S. Mummolinus ad locum, ubi brevi monasterium de Sithi et postmodum juxta illud Audomaropolis surrexit, pervenisset, sensit necesse esse hunc locum altius educere, et aggestum arenæ limique operoso labore adaugere. Hæc saltem inter alias sat bene fundatas suspiciones, conjiciunt Sam-Bertiniani descriptores. Prout Adroaldus in charta amplissimæ suæ donationis jusserat, exstructo monasterio impositum est nomen S. Petri principis Apostolorum; quod deinceps post mortem S. Bertini, in nomen hujus Sancti, quo jubente templum ædificatum fuerat, et cujus præcipue Reliquiæ illic servabantur, mutatum fuit. Porro ita loquitur Ghesquierus, « in hoc Sithiensi S. Petri cœnobio ferebat, uti Cointius (a) refert, sacræ religionis cultus sub abbate Mummolino, cujus disciplinæ numerus monachorum haud parvus se jam addiderat. » Dies hic, prout e manuscripta S. Mummolini Vita collegit Malbrancquius (b), partim psalmodia piisve commentationibus, partim codicibus evolvendis transigebatur. Quæ refocillando corpori alimenta tempusve insumebantur, erant perexigua: mensa sæpius nullo pene obsonio condita, quandoque nil nisi extrema vitæ subsidia panem et aquam cernebat. Non quod facultates facultasve se pinguius habendi deessent, (quippe affatim jam vidimus sese Adroaldi magnificentiam effundentem); sed cum rigidæ disciplinæ essent principia posituri, hujusmodi abstinentiam sibi imperabant: necnon etiam toti pauperum et peregrinorum alimonie studentes, sua sibi detrahebant. His subdit Malbrancquius eandem Vitam stylo suo reddens: Post longas inedias (Mummolinus) novam adinvenit stomachum exsaturandi rationem, pane scilicet ordeaceo, eoque cinere commixto et aqua lacrymis temperata. Egenis non solum manu divite, sed etiam medica mirifice profuit; sive eum purulenti, sive gravioribus aliis ægitudinibus detenti accederent, primum in genua procumbere, utramque salutem homini ardentissimis precibus implorare, dein curare ulcera protinusque persanare; sic ut certior foret quisque notis inemptisque remediis, quam in medicorum fide iniquissimam mercedem ex supervacanea curationis mora captantium. Nec vero evangelicum opus abjicere; ac præsertim Mummolinus: ea enim mens erat Audomari (qui hominem ad altiorem ecclesiæ gradum præ sagiebat quodammodo evehendum) ut ad vicinum maxime, quem quasi e cunis susceperat, gregem corroborandum excurreret. Hactenus Ghesquierus ex Malbrancquo; cui an S. Mummolini Vita similis illis, quæ aut apud nos aut in bibliotheca Burgundica regia Bruxellensi exstant, an vero alia præluxerit, non habeo quod edisseram. Ut sit, proba-

(a) Annal. Eccles. Francor. ad. annum 652, § vi. — (b) De Morinis, tom. I, p. 327. — (c) Annal. Eccles. Franc. ad annum 652, § vi. — (d) Act., SS. Belgii Select., tom. IV, p. 399. — (e) Vérité de l'hist. de l'église de S. Omer, p. 4 et 15. — (f) Act. SS., tom. III Sept., p. 399 et 409. —

bilis mihi est memorata superius ab eo solers codicum lectio; nam licet de hæc lectione Vitæ mihi cognitæ omnino silent, vivendi norma, quam Luxovii secutus erat S. Mummolinus, plurima in promovendis studiis erat.

26 Cæterum Malbrancquii dicta ad tempus illud respiciunt, quo Mummolinus cum sociis evangelicum opus potissimum navabat, et ad Audomari gregem erudiendum ac corroborandum excurrebat frequens; nam uti Cointius (c) recte observat: Conditio... cœnobio, vicum hi Sithuensem cum sociis incoluerunt præcipue, sed evangelium per totam diocesim Morinensem annuntiare non destiterunt. Hæc scilicet facile ex S. Mummolini Vitæ erui possunt, cum hæc præcipua S. Audomari mens in eis advocandis aut admittendis fuerit, neque Luxoviensis regulæ institutum, quod sine dubio sequebantur, sacro ministerio repugnaret, quin potius omnino ei faveret, ut bene noverunt eruditi potissimum ex Vita S. Eustasii. Quod vero Luxoviensem seu S. Columbani regulam memini, non est cur disputem, quoad hæc in Sithivensi monasterio in usu fuerit; nihil hac de re tradit Iperius, aliisve mihi notus. Controversia vero de tempore, quo S. Columbani regula cum regula S. Benedicti prorsus confusa est, atque alia hujusmodi notiora sunt, quam ut ea latius commemoremus. Notabile tamen est tonsuram S. Bertini, cujus vetustissima, non tamen cœva, imago a Mabillonio in annalibus ad annum 675 § lvi edita fuit, Benedictinam aut Romanam esse, non Luxoviensem aut Scoticam, qualem ibidem gestat S. Mummolinus.

27 Neque dubitavimus ubique istis gerendis præponere S. Mummolinum, cum ejus Vitæ omnes, non secus ac Vita antiquior S. Bertini, nemini, ut loquitur Ghesquierus (d), suspecta, similiter altera S. Bertini, et plures Vitæ S. Audomari, citatæ in commentario canonicorum Sant-Audomariensium (e) et a Stiltingo (f), atque adeo Officium S. Mummolini (g), anno 1723 in usum Sam-Bertiniansium typis editum, in id adstruendo consonent; præterea in privilegio Clodovei, anno 691 concesso (infra id edemus) vocatur S. Mummolinus antecessor S. Bertini. Quocirca Ghesquierus, qui satis tamen habuit S. Mummolini solummodo et antiquiorem S. Bertini Vitam citare, fatetur (h) se non satis mirari posse, Mabillonium et Dionysium Sammarthanum, (quibus auctor dissertationis de origine abbatiæ S. Bertini (i), et nuper Cl. V. Guérard in Chartulario Sancti Bertini (k) adhererunt), S. Mummolino abjudicasse præfecturam Sithivensis monasterii, eique forte liberalius quam par est, tribuisse abbatialem dignitatem, cum Veteri præesset monasterio seu eremitorio. « Unum hic, ut disserere pergat Ghesquierus, suffecerit Mabillonium de abbatiæ S. Mummolini dignitate loquentem audire: Veteri monasterio, inquit (l), præfectus abbas Mummolenus, seu Mummolinus, novo Sithiensi monasterio Bertinus: quæ res non satis animadversa auctores in varias distraxit sententias, aliis Mummolinum abbatem Bertino præferentibus, aliis postponentibus, aliis denique ex albo Sithiensium abbatum omnino expungentibus, ut primum Bertino locum tribuant. Mummolinus itaque abbas fuit primus imo et unicus Veteris monasterii, quod nomen S. Mummolini hactenus retinet; Bertinus novi post annos quatuordecim a constructione Veteris monasterii; cum scilicet Mummolinus defuncto S. Eligio in sedem No-

D

vitam apostolicam cum cœnobitica conjungens sub regula S. Columbani.

E

Abbas Sithivensis fuit S. Mummolinus,

F

(g) Vérité de l'hist. de l'église de S. Omer, p. 46. — (h) Act. SS. Belgii Select., tom. IV, p. 399. — (i) Dissert. histor. sur l'orig. de l'abb. de S. Bertin, p. 45 et seqq. — (k) Prolegom., p. xxxiv. — (l) Annal. Benedict. ad annum 648, t. I, p. 401.

» viomensem

A

viomensem subrogatus est. *Eandem esse sententiam Dionysii Sammarthani, observat (a) Stillingus, nec inficiatur speciosam videri qualemcumque conciliationem illam variarum opinionum; sed eam videri sibi non congruentem ullis anti-*

ut adversus antiquiores et recentiores

quis monumentis, imo omnibus fere repugnantem adeoque et a veritate aberrantem; id quod evincit citata pagina (b), cujus verba hic subdo: 28. Primo, inquit, huic opinioni repugnant Vitæ S. Audomari et S. Mummolini jam laudatæ. Primæ Vitæ auctor nequit merito esse suspectus, quia reliquis est antiquior, et de S. Bertino magis scripsit quam de Mummolino; secundæ auctor primum fideliter secutus est, et nonnulla magis exposuit. Aliæ quoque S. Audomari Vitæ prædictis consonant, sed eas adducere non est necesse. Jam vero ex his verbis habemus, Mummolinum fuisse primum abbatem secundi seu Sithiensi monasterii; adeoque illud esse constructum diu ante annum 662, cum Mummolinus ab anno 659 fuerit episcopus. Secundo ipsæ Adroaldi litteræ satis innuunt, donationem fuisse factam, ut construeretur novum monasterium Sithiense; sic enim habent: *Ut ibi monasterium in honore Petri, principis Apostolorum, construere debeatis, ad conversandum monachis.* Nullus e Vitæ scriptoribus dixit, Vetus monasterium fuisse constructum in honorem S. Petri. De novo igitur loquitur Adroaldus, quod in honorem S. Petri structum fuisse constat. Deinde vox *ibi* utcumque innuit, monasterium istud fuisse ædificandum in ipsa villa Sithiu, quam donabat Adroaldus. Præterea Vetus monasterium fuit angustum et numerus monachorum ibidem exiguus, ut colligitur ex omnibus Vitæ scriptoribus, ita ut dicat Iperius Sanctos ibi fuisse quasi in eremitorio... cum conventiculo parvo. At verba Adroaldi significant, donationem esse factam, ut amplum ædificaretur monasterium, in quo magnus esset monachorum numerus. Hac de causa omnes Vitæ scriptores asserunt, undique accurrisse multos post constructum monasterium Sithiense, ut ibi Deo servirent; non vero ante istam foundationem.

B

29. *Ut autem magis magisque constet, Sithiense monasterium S. Petri ædificatum fuisse ante annum 662, huicque adeo præesse potuisse S. Mummolinum contra ac volunt Mabillonius et Sammarthanus, qui solum Veteri præfectum fuisse contendunt, visum est huc transferre documenta, quæ Stillingus in sententiæ suæ confirmationem num. 65 adduxit, eumque rursus disserentem audire. Tertio, inquit, ædificatum esse monasterium Sithiense S. Petri ante annum 662, certissimum fit ex privilegiis eidem ante istum annum datis. Audiamus aliquid ex litteris Clotarii III, quibus anno vi regni sui, id est, anno Christi 661 vel 662, (imo 662), mense Februario confirmat permutationem variarum possessionum, inter Mummolinum tunc episcopum et Bertinum abbatem factam: *Igitur apostolicus vir Mummolinus Noviomensis urbis episcopus, necnon et venerabilis vir Bertinus abba de monasterio Sittiu, qui ponitur in pago Tarwanense a quorum amborum opere visi fuerunt ædificare, et est in honore Sanctæ Mariæ Genitricis Domini nostri Jesu Christi, necnon et Sancti Petri et Pauli Apostolorum, vel cæterorum domnorum Sanctorum constructus, ad præsentiam nostram**

cum Stillingo statuitur,

C

quod

venientes, etc. Certum est, Bertinum hic abbatem dici, non Veteris monasterii, sed Sithiensi, nunc S. Bertini dicti: nam Vetus monasterium numquam vocatum est Sittiu vel Sithiu, sed istud nomen omnes novo monasterio attribuunt biographi. Stabat igitur novum monasterium initio anni 662, nec inchoatum est anno illo. Præterea constructum est non a solo Bertino, sed amborum opere, nempe Mummolini et Bertini, ut habent data verba. Eodem anno sexto Clotarii signatur charta S. Audomari, qua cœmeterium et basilicam S. Mariæ tradit monasterio Sithiensi. In hac autem charta dicitur: *Ubi antea monasterium in Dei nomine ædificatum esse videtur, ubi regulariter viuentes aderant monachi, etc.* Non itaque inchoatum est anno 662 monasterium Sithiense, de quo agitur. Præterea in privilegio Clodovei III, quod ex Folquino diacono edidit Mabillonius (c), Mummolinus S. Bertini vocatur antecessor ibique agitur de monasterio Sithiu. *Non igitur in solo Veteri cœnobio Mummolinus præfectus monachis fuit, vel ut abbas, prout volunt Mabillonius et Sammarthanus, vel, uti nobis præplacet, ut aliorum superior et quasi pater; ast vero in Sithiensi re ipsa abbas fuit et decessor Bertini. Quæ cum certiora appareant, quam ut ulteriori dubitationi relinquatur locus, inconcussum maneat id, quod ante diximus: Mummolinum Sithiensium monachorum multitudini a B. Audomaro fuisse præpositum, verumque Sithiensi monasterii abbatem fuisse, nimirum ab anno 648, quo illud inchoatum est, aut saltem ab uno e duobus subsequentibus, usque ad annum 659 aut 660, (potius, ut videbimus, usque ad annum 657 aut 658) quo ad episcopatum Noviomensem ac Tornacensem evectus fuit. Hæc Ghesquierus secundum Stillingum.*

D

E

30. Priusquam vero S. Mummolinum e Sithiensi deducamus monasterio, in quo vidimus eum sese continuo cum Apostolo ad anteriora extendentem, fratres suos confirmantem in virtute divinoque obsequio, et fundamentum spiritualis ædificii, plus quam undecim duraturi sæcula, jacentem, oportet et verbum addi de ejus cura et sollicitudine, ut haberent sui monachi vestimenta quibus tegerentur et escam unde vescerentur. Quam ob rem recitanda hic videtur pars privilegii regis Clodovei, Theodorici filii; quod ex Folquino recitavit Mabillonius (d), Foppens (e), D. Bouquet (f), Brequigny (g), et nuper Cl. V. Guérard (h); quodque diu quidem post S. Mummolini mortem, sub diem 1 kal. Junii anno I regni Clodovei III, mense Martio anni 691 sceptrum adepti, concessum fuit, et Sancti nostri de rebus temporalibus curam præclare illustrat. Habet autem apud Brequigny hunc tenorem: *Chlodoveus, rex Francorum. Si illa beneficia, quæ parentes nostri ad loca Sanctorum præstiterunt vel concesserunt, pro nostris oraculis confirmamus; et regiam consuetudinem exercemus, et nobis ad laudem vel stabilitatem regni nostri in Dei nomine pertinere confidimus. Igitur venerabilis vir Bertinus, abba de monasterio Sithiu, quod est in pago Terwanense, in honore Sanctæ Mariæ Genitricis Domini nostri Jesu Christi, necnon et Sancti Petri et Pauli Apostolorum, vel cæterorum domnorum Sanctorum constructum, ad nostram accedens præsentiam, clementiæ regni nostri suggestit, eo quod avus noster Chlotarius quondam rex de omnes curticeas vel villas ipsius*

Rem temporalem quæque curavit in Sithiu.

F

lege Chlodoveus

(a) Act. SS., t. II Sept., p. 563. — (b) Ibid., loc. cit. — (c) De Re Diplomat., lib. vi, p. 607. — (d) Ibid. — (e) Supplem. Oper. Dipl. Miræi, t. II, p. 928. — (f) Collect. des

Hist. de Fr., t. VI, p. 667. — (g) Diplomat., t. I, p. 321. — (h) Cartulaire de S. Bertin, p. 34.

monasterii,

A monasterii, quidquid præsenti tempore possidebant, aut adhuc inantea ex munere regum, vel collato populi, seu de comparato aut de quolibet recto adtracto in quibuslibet pagis atque territoriis inibi erat additum vel collatum, integra emunitate antecessore suo Mummolino, quando vel ad prædicto monasterio concessit, ut nullus iudex publicus ibidem ad audiendas causas, freta exigenda, fidejussores tollendos, nec mansiones aut paratas faciendos, nec homines ipsius monasterii, tam ingenuos, quam et servientes super terras suas commentantes distringendos, nec nullas redhibitiones requirendas, nec exactandas, nec iudicaria potestas ibidem ingredi quaque tempore non deberet, nisi sub emunitatis nomen omni tempore cum omnis fretis-concessis pars ipsius monasterii debeat possidere... *Reliquum diploma de his atque aliis confirmandis agit. Animadvertet lector satis magnificam mentionem hic fieri de possessionibus Sithivensi monasterio addictis, cum id a S. Mummolino regetur. Clodovei vero secundi, quocum S. Mummolinus egerat, diploma non amplius superesse videtur: illud saltem non edidit Mabillonius, neque Breguigny, neque Cl. V. Guérard in Chartulario suo Sam-Bertiniano. Plura de his diplomatibus notanda non videntur, quoniam non est quod hoc loco chartas Sam-Bertinianas defendam a criminibus, de quibus eas incusavit propugnator quidam iurium Ecclesie Sant-Audomarensis (a).*

§ III. Quo anno S. Eligius, episcopus Noviomensis et Tornacensis, mortuus sit, eique successerit S. Mummolinus; de linguarum latinæ et teutonice peritia, qua ornatus hic Sanctus fuit.

S. Mummolinus succedit S. Eligio,

C **D**e episcopatu Noviomensi et Tornacensi curis S. Mummolini credito, sic disserit recentior biographus, a Ghesquero citatus (b): Interea vir Dei Eligius, Noviomensis urbis episcopus, post multa patrata miracula in pace plenus dierum migravit ad Domini. Cujus in loco, fama honorum operum, quia prævalebat non tantum in theutonice, sed etiam in romana lingua, Lotharii regis (hujus nominis tertii) ad aures usque perveniente, præfatus Mummolinus ad pastoralis regiminis curam subrogatus est episcopus. Quibus addit Ghesquerus (c): "Atque ita impletum est quod morti proximus S. Eligius postularat, videlicet ut post obitum suum, sua benignissima pietate provideret Deus pastorem, qui regeret modeste suam plebem, uti legitur in ejus Vita (d). Sed erunt fortasse, pergit idem hagiographus, qui biographo S. Mummolini, Eligio Sanctum nostrum in Noviomensi cathedra subroganti, opponit Vitam S. Audomari, ab Anonymo exornatam, necnon alteram a Folchardo seu potius a compilatore anonymo conscriptam, ut et Iperium; qui omnes Eligio Mummolinum anteposuerunt (qui notius Eligio postposuerunt Acharium); audi Anonymi prioris verba: Interea decedente Achario, episcopo urbis Noviomæ, ad episcopatum ejusdem urbis venerabilis vir Mummolinus provehitur; alterius autem hæc:

(a) In opere: *Vérité de l'hist. de l'église de S. Omer.* — (b) Act. SS. Belgii Select., t. IV, p. 403. — (c) Ibid., p.

D " Interea decedente e medio Novione, episcopo, venerabili viro Achario, Mummolinus ad præsulatum ejus provehitur, opitulante Beato Audomaro; *Iperii demum sequentia parte VI, col. 460*: Interea decedente Beato Achario episcopo urbis Noviomæ, ad episcopatum ejusdem urbis Mummolinus provehitur, et Bertrannus cœnobio S. Quintini a Mummolino præfertur. *Verum enimvero cum S. Audoenus, S. Eligii amicus, eodemque quo ille die et loco consecratus episcopus, atque ut uno verbo absolvam omnia, fidus ejus biographus omnique exceptione major, diserte affirmet, S. Achario proxime successisse Eligium, qua in re ei consonat S. Mummolini biographus; multo potiore jure imo indubitanter tenendum est, Sanctum nostrum non S. Achario, anno 639, uti (e) dictum est, defuncto, sed S. Eligio viginti post annis mortuo, in Noviomensem ac Tornacensem cathedram proxime successisse. En S. Audoeni verba (f): Elegerunt ex merito sanctitatis cunctis bonis operibus præditum ad sacerdotale (seu episcopale) officium Sanctum Eligium... ut præesset ecclesie Noviomagensi:*

E DECESSERAT ENIM IN IPSO ANNI CIRCULO ACHARIUS PRÆFATE URBS ANTISTES. Verba biographi S. Mummolini jam supra produximus. " 32 " *Eapenderat ista haud dubie Guillelmus de White, quem Malbrancquius in rebus monachorum Bertinensium seu Sithivensium apprime verisatum dicit, atque Iperium ipsiusque duces conatus est cum Audoeni conciliare subtili quadam interpretatione; vult enim, uti Cointius ad annum 639, § v, notat, post S. Acharii mortem ab Audomaro episcopo Morinensi propositum fuisse Mummolinum ascetam Sithivensem, qui consecraretur episcopus, et episcopi vices ageret in diocesi Noviomensi et Tornacensi, donec Eligius sub clericatus norma tempus aliquid exegisset, seque tandem episcopum ordinari passus esset; additque id consilii omnibus acceptum fuisse, et Mummolinum instar administratoris seu suffraganei, ut hodie vocant, episcopalia obisse ante et post ordinationem Eligii, nec ante illius mortem vere Noviomensem ac Tornacensem episcopum exstitisse, ita ut et juxta Iperium electus ordinatusque sit episcopus post obitum S. Acharii, et juxta Audoenum Eligio in episcopatum successerit. Malbrancquius hanc interpretationem commentatur, et ad validiorem confirmationem addit apud Corbejenses visum a se diploma, cui Mummolinus episcopus cum ipso Eligio subscripsit. Rem nobis pergratam fecisset, si descripsisset illud diploma, notassetque characteres chronologicos, quibus consignatum reperitur. Tomo primo Conciliorum Gallicanorum publicatum est libertatis privilegium, quod a Bertefrido Ambianensi episcopo monasterio Corbejensi concessum fertur, octavo idus Septembris, anno Clotarii regis septimo; inter episcoporum subscriptiones occurrit Mummolenus, Eligius nequaquam: illo enim anno Mummolenus Noviomensis erat episcopus, et Eligius ejus decessor pridem obierat. Hactenus Cointius, qui post pauca, quæ huc non spectant, subdit ad rem nostram: Diploma vero, quod Malbrancquius a se inspectum testatur, quodcunque illud sit, inter fabulas amandari debet, si Mummoleni et Eligii episcoporum subscriptionibus munitur, quia vivente Eligio, Mum-*

404. — (d) Ibid., t. III, p. 285. — (e) Ibid., t. II, p. 331. — (f) Ibid. t. III, p. 229, cap. I.

" molenus

A " molenus episcopalem dignitatem haud gessit. " *Hæc ex Ghesquero.*

*diocæson  
Noviomensis  
et Tornacensis  
administrato  
r fuit.*

33 Verum, cum præsens controversia tota in eo sit, an Mummolinus, dum S. Eligius sub norma clericatus aliqua temporis curricula exigeret, ut S. Audoenus lib. II cap. II Vitæ S. Eligii loquitur, sedem Noviomensem et Tornacensem administravit, episcopi titulo atque caractere insignitus, atque hoc modo habuerit memorata sedes uno tempore episcopum electum, et episcopum administratorem, negantium sententiam sequentibus confirmo. Primo, quis crediderit S. Audoenum, minima etiam S. Eligii gesta memorantem, tale quid inusitati prætermisurum fuisse, quod reapse bene nosse debuisset, siquidem uno die cum S. Eligio consecratus sit a Deodato, episcopo Matisconensi? Secundo, S. Eligii tantum consecrationem suam distulit, quoniam exactissime sacros canones servare studebat; sic enim loquitur de hac dilatione S. Audoenus: Sed vir Beatus cum se nullo modo ab officio disposito

\* alii imposito,

B

discutere posset, NE TAMEN IN ULLO CATHOLICÆ REGULÆ DEVIARE VIDERETUR, non se permisit prius sacerdotem (quod idem hic sonat ac episcopum, ut liquet ex eo quod S. Audoenus se presbyterum dicit) consecrari, nisi sub norma clericatus aliqua temporis curricula exigeret. Jam vero, an S. Eligius ita strictus fuisset in servando hoc canone, et vicarium episcopum, rem simili in casu inauditam, in Ecclesiam inverisset, potissimum quidem cum bene notum esset, quid S. Ambrosius, cujus sanctitatis fama ubique resonabat, egisset, e catechumeno in episcopum electus? Tertio, spatium seu curricula temporis, quæ S. Eligius sub clericatus norma transegit, non ita longa sunt, ut grave incommodum in Noviomensem ecclesiam redundare potuerit ex eo, quod interea episcopo careret; præterea per canonem IX concilii Aurelianensis V, anno 549 celebrati, magis extensa etiam fuerat dispensatio, canone II concilii Arelatensis IV, anno 524 coacti, jam concessa; secundum illum enim canonem cavebatur tantum, ut nullus ex laicis absque anni conversione præmissa episcopus ordinaretur: ita ut intra anni ipsius spatium, a doctis et probatis viris, disciplinis et regulis spiritualibus plenius instrueretur: credibile autem non est a S. Eligio consecrationem suam ultra annum dilatam fuisse. Quarto, siquidem secundum præbatam sententiam S. Eligius anno 640 episcopus consecratus fuerit, et S. Mummolinus verisimiliter anno 638 aut 640 ad S. Audomarum pervenerit, et paulo post ad ecclesiam et cellam, Vetus monasterium dictum, condendum missus fuerit, videatur quo pacto hæc concilientur cum putatio inauditæque vicario episcopatu S. Mummolini, inter annum 639 et 640 suscepto. Quinto demum, Vita S. Audomari antiquissima tacet S. Mummolini decessoris nomen; et Vitæ recentiores, cum ab hac discedunt, tam parvi faciendæ visæ sunt Stiltingo, ut aperte fere earum scriptores præmeditati erroris incusandos æstimaverit: quocirca cum S. Mummolino præcessisse aiunt S. Acharium, cui nos S. Eligium successisse asserimus, nihil evincunt.

*Successio illa  
facta est bre-  
vi post S.  
Eligii mor-  
tem,*

34 Negato itaque atque rejecto vicario hoc S. Mummolini ministerio examinandum superest, quo anno reapse Noviomensis atque Tornacensis episcopus consecratus fuerit. Imprimis pendet id omnino ex anno emortuali S. Eligii, cui intra primum ab obitu annum successit. Etenim cum S. Audoenus, S. Eligii biographus et sodalis, libro VIII capite 46 Vitæ hujus Sancti (a), quod de equo Sancti inscribitur, sæpius meminisset Mummolini episcopi, con-

tinuo post pergit: His ita gestis, cum corpus Beati Eligii in latere altaris esset sepultum, visum est episcopo et reginæ (S. Bathildi) consilium optimum, ut ædificata ultra altare volutione (id est fornice), illic ei demum condignam facerent translationem: ex qua narrandi resque conjungendi ratione manifestum est, eundem episcopum scilicet S. Mummolinum, et liti de equo et translationi S. Eligii implicitum fuisse. Verum hæc translatio die anniversaria mortis S. Eligii, uno scilicet anno ab ejus de hac vita exitu, facta est, cum S. Audoenus eam contigisse adstruat anno jam vertente, die depositionis ejus annuali appropinquante seu adveniente.

35 Unversus itaque nodus in S. Eligii mortis anno inquirendo jacet. Ut alios omitam multos, qui id tempus assignaverunt, Ghesquieri verba e Commentario prævio ad S. Eligii Vitam hic adduco: De gesti, inquit (b), ab Eligio episcopatus spatio consentiunt, si unum excipiamus Pagium, eruditi omnes. Hic quippe postquam tomo III critices pag. 48, num. IV, observasset, idque recte quidem, Eligium vixisse usque ad annum sexcentessimum quinquagesimum octavum, mox subdit, eodem ipso anno demortuum esse; atque adeo episcopatu ejus annos dumtaxat octodecim mensesque aliquot relinquit. Contra vero Cointius, Longuevallius, Bouquetus, aliique, qui episcopalem Eligii consecrationem anno 640 innectunt, ejus obitum anno 659 illigant, ejusque episcopatu annos tribuunt novemdecim, menses sex, diesque aliquot. Opinionem suam stabilire nixus est Pagius adducto privilegio quodam, ab Emone, Senonensi episcopo, monasterio S. Petri apud Senonas concesso, quod in sæculo III Benedictino (c) legitur directum fuisse Audoeni, Eligio aliisque episcopis, et cui tamen non Eligii nomen, sed Momoleni, ejus successoris, subscriptum legitur. At recte observat Longuevallius tom. IV Historiæ Ecclesiæ Gallicanæ pag. 48, in annotatione, privilegii illius subscriptiones esse admodum mancas; neque adeo evinci S. Eligium anno 658 in vivis esse desiisse. Quod autem privilegio isti Momoleni nomen subscriptum legatur, id iudice Longuevallio, nihilo plus evincit, cum nullo ex capite constet, S. Momolenum anno tertio Chlotarii III privilegio huic suum subscripsisse nomen. Ita quidem laudatus Longuevallius, ut se mota a Pagio difficultate expediat. Verum ego non video obstare quidquam, quominus S. Eligii obitum anno Christi 659 statuatur, etiam admissa subscriptionum illarum summa fide atque incorrupta integritate. Cum enim annus tertius regni Chlotarii III a mense Novembri anni 658 currerit usque ad mensem Novembrem anni 659, potuit privilegium illud currente anno tertio regni Chlotarii III S. Eligio aliisque episcopis directum fuisse, nec tamen hujus chirographo firmatum, quia ipsis kalendis (Decembris) ejusdem anni 659 ad superos abiit.

36 Ad quæ animadvertendum æstimo, nusquam a me repertum esse spatium S. Eligii episcopatus ex antiquis documentis definitum, nisi ex privilegio Senonensi et anno consecrationis; Gallia Christiana quidem tam stabiles habet viginti hos circiter S. Eligii episcopatus annos, ut inquit (d): Obiit Eligius pridie kalend. Decembris, vel anno 659, si consecratus est anno 640, vel anno 665 si consecratus est anno 646; verum hæc verba vana habenda sunt, donec citetur scriptor, antiquitate et

*quam ad an-  
num 659 re-  
tulit Ghes-  
quierus,*

E

F

*non recte in-  
tens erudi-  
torum con-  
sensit;*

(a) Act. SS. Belgii select., t. III, p. 293. — (b) Ibid., p. 197 et seq. — (c) Part. II, p. 613. — (d) T. IX, col. 984.

A sinceritate sua venerabilis, qui viginti circiter annos S. Eligio cathedras Noviomensem et Tornacensem occupanti assignet; secus integra remanet quæstio de fine ejusdem Sancti episcopatus. Secundo, omnino non video eruditos omnes consentire in affirmando S. Eligium anno 659 obiisse; Mabillonius quidem propter Senonense privilegium in Annalibus (a) hanc admisit sententiam, eamque Longuevallius in Historia Ecclesiæ Gallicanæ (b), Colliette in Commentariis Veromanduensibus (c), Butler in Vita S. Eligii (d), D. Bouquet in Collectione Historicorum Franciæ (e), Cointius in Historia Ecclesiastica Francorum (f) aliique gregatim amplexi sunt; verumtamen sunt et alii, qui diversum opinandi modum inierunt. Hadrianus Valesius, qui ex fontibus scribere solebat, satis habuit cum S. Audoenno, laudato Eligii biographo, ejus mortem ad initia regni Clotarii III referre; Dionysius Sammarthanus annum 665 assignat (g); cui cum aliis pluribus præiverat Sigibertus Gemblacensis in Chronico (h); Cl. V. Moeller, professor historiæ in universitate catholica Lovanii, Erchinoaldi mortem ad annum 660 referens (i), necessario ad hunc annum producit S. Eligii obitum, qui sepelivit Erchinoaldum. Negligenda itaque videtur auctoritas Mabillonii, aliorumque recentiorum; quam maximam quidem facimus, cum solidis nituntur testimoniis, ad trutinam vero revocamus, cum testimonia illa difficultatem incurrunt; quod inferius præstabimus.

sed Pagium, annum 658 assignantem,

B 37 Tertio, ut intelligantur Ghesquierei in Pagium observationes, ipsius Pagii dicta recitanda videntur: Eligium, inquit, vixisse usque ad annum sexcentessimum quinquagesimum octavum, eodemque demortuum demonstrat privilegium ab Emmone episcopo Senonensi concessum, quod recitat Mabillonius sæculo III Benedictino pag. 613, directum illud Senonicæ civitatis comprovincialibus, Chrodoberto, Farone, Bertoaldo, Audoenno, Gauzberto, Eligio. Datum autem, ut in ejus fine legitur anno tertio regni Domini nostri Clotarii regis, (qui post secundam hebdomadam mensis Novembris anni Christi DCLVIII inchoatus est,) et quidem in synodo episcoporum, ex quibus complures privilegio subscribere, et ex præfatis sex episcopis solus Eligium non subscripsit, sed Mommolenus, qui et Mummolenus dicitur, quem certum est Eligii successorem fuisse. Quare, ut recte inde colligit Mabillonius, paulo post concessum privilegium Eligius obiit, et quidem kalendis Decembris, quo nomen ejus veteri calendario inscribitur. Nam licet Audoenus, nec aliquis ex antiquis diem ejus obitualem expresserit, Sanctique aliis sæpe diebus, quam quibus mortui sunt colantur (quod hic tamen metuendum non est, quoniam aperte annotat S. Audoenus diem annualem depositionis ad transferendum corpus expectatam fuisse), quia tamen Audoenus lib. 2, cap. 35 refert post Eligii mortem sanguinem fluxisse e naribus ejus, tametsi erat hybernium tempus, certumque est concilium illud Senonense habitum exeunte anno DCLVIII, quo tertius Clotarii regis inchoabatur, verosimile est S. Eligium die et anno præfatis in Domino obdormisse, et ejus obitum hactenus tardius quam par erat, consignatum fuisse, ab illis præsertim, qui Dagoberti regis mortem septennio aut etiam tardius differunt.

(a) T. I, p. 415. Edit. Lucens. Lib. xiv, num. 67, ad ann. 659. — (b) Liv. x, ad annum 659, t. V, p. 281. Edit. 1826. — (c) Mémoires pour serv. à l'hist. du Vermandois, t. I, p. 249. — (d) Vies des Saints ad t. Dec., t. XVIII, pag. 190. Edit. Lovan. — (e) T. III index Chronol., p. LXXII. — (f) Ad annum 659, § XIII, t. III, p. 479. — (g) Gall. Christ., t. III, col. 273. — (h) Pertz Monum. German., t. VI, p. 326. — (i) Manuel de l'hist. du moyen âge, t. I, p. 291. Edit. 1837. — (k) T. I, p. 413 et seq. Edit. Venet. (l) Annal. Eccl.

38 Ad hæc quidem, ut superius vidimus, animadvertit Ghesquierus, annum Clotarii III a mense Novembri 658 usque ad eundem mensem anni 659 cucurrisse; idque privilegium hoc anno 659 conditum potuisse, quin tamen ad S. Eligium, die 1 Decembris hujus anni mortuum, opportuno advenerit tempore. Quæ explicatio non tantum probabilis, sed certa habenda est, quamdiu admittitur cum Pagio, ad hoc concedendum confirmandumque privilegium anno 658 Senonibus synodum habitam fuisse, cujus quoque meminit Mabillonius in Annalibus ad annum 658 (k), Cointius ad annum 657 (l), et Mansi in notis ad Annales Baronii et Criticem Pagii ad annum 658 (m). Etenim, cum ex testimonio Clarii, monachi S. Petri-Vivi, hanc synodum coactam dicentis, S. Eligius huic episcoporum congregationi affuerit, eam ex mente Pagii habitam fuisse statuitur oportet post secundam hebdomadam mensis Novembris anni 658 (nam secunda hebdomade Novembris anni 659 tertium Clotarii regni annum adhuc cucurrisse ostendit ipse (n) Pagius), et ante diem 1 Decembris anni 658 (kalendis quippe Decembris obiit S. Eligius). Verum ex his quindecim ad summum diebus quinque aut sex, febre correptus, infirmitatemque deambulando, baculoque regente infirmos artus sustentando, dissimulans, nec sic quidem a Dei opere cessans (o), transegit, donec pridie kalendarum Decembris (p) clero suo valedixerit; præterea paulo ante morbum jam sensit dissolutionem sui corporis imminere (q), eamque prædixit; vix itaque octo dies remanent Pagio, intra quos S. Eligium Senonas mittat ad synodum. Quis autem admisit id a S. Audoenno futurum fuisse prætermissum, cum ultima S. Eligii gesta et verba ad scrupulum usque narret? Equidem Pagii computationem corrigendam censeo. Atque hæc in eos valent, qui Pagii auctoritate nituntur.

39 Verumtamen, licet ex his constet Pagium non probandis hic uti calculis, fateor sententiam Ghesquierei aliorumque valde incertam mihi haberi; quoniam, cum Senonense privilegium unicum ei fundamentum sit ad S. Eligii mortem anno 659 collocandam, valde caduco argumento rem conficere mihi videtur. Animadvertit ille quidem cum Longuevallo subscriptiones, quas inter, ut diximus, S. Mummolini, S. Eligii successoris, nomen apparet, valde mancas esse; verum superscriptiones, ubi Eligii nomen exstat, et unde concludunt S. Eligium adhuc vixisse, cum id privilegium anno tertio Clotarii III scriptum est, non minus manca appellanda sunt; et, quod ad rem præsentem maxime pertinet, S. Eligii nomen certe inde expungendum est. Ejus autem superscriptiones, quales ediderunt Mabillonius (r), Cointius (s) et Brequigny cum du Theil (t), ita sonant: Dominis sanctis et summi culminis apicem pontificatus cathedræ specula præsentibus, in Christo fratribus, Senonicæ civitatis comprovincialibus, Chrodoberto, Farone, Bertoaldo, Audoenno, Gauzberto, Eligio: Emmo, peccator, simplex vester, in Domino præsumit mittere salutem. Jam vero, ut notant Brequigny et du Theil (u), Chrodobertus, Parisiensis episcopus, Faro Meldensis, Bertoaldus Trecensis, tunc temporis erant provinciæ Senonensis episcopi, recte comprovinciales ab Emmone appellati; sic et Gauzbertus, Carnotensis episcopus, cujus sedem Cointius non

Francor., ad annum 657, § xv, t. III, p. 440. — (m) Annal. Baronii, t. XI, p. 512. Edit. Lucens. — (n) Crit. Baron., ad annum 656, § xvii, t. XI, p. 493. — (o) S. Audoen. Vit. S. Eligii Act. SS. Belgii select., t. III, p. 283. — (p) Ibid., l. c. — (q) Ibid., p. 282. — (r) Act. SS. Ord. S. Bened. sæcul. iii, p. ii p. 613. — (s) Annal. Eccl. Franc., t. V, p. 285. — (t) Diplomata a l' res Francie. pertinet., p. 227 et seq. — (u) Ibid., p. 228.

agnovit.

D bene arbitrat certis rationibus destituit.

E

S. Eligii mors anno 659 adscribenda non videtur propter Emmonis Senonensis privilegium,

F

A agnovit. Sed quid dicendum de Audoen ac Eligio, quorum si prior Rothomagensis, alter Noviomensis episcopus fuerit, comprovincialium nomine, ab Emmone minime appellari potuerunt? Pro voce *Audoen* legendum suspicatur (a) *Mabillonius Audoni*, qui hoc tempore Aurelianensi Ecclesiae praesidebat. Magis torquet Eligius, si hoc nomine intelligatur Noviomensis episcopus. Nos vero Vigilium reponendum conjicimus, tunc Autissiodorensis episcopum, Senonensis praesulis comprovincialem: nec videtur hic agi de Eligio Noviomensi episcopo, cum nomen Mummoleni, qui ei in Noviomensi sede successit, inter subscribentium nomina appareat. Clarius vero, falsa lectione deceptus, Rothomagensis episcopo et Noviomensi tribuit, quae Aurelianensi et Autissiodorensi tribuenda erant. Errori favebat, quod notiora forent Eligii et Audoeni nomina, quam Audonis et Vigilii. Verum quidquid de his conjecturis, quae historicae notitiae forte habendae sunt, esse possit, (*Audo enim et Audoenus identica nomina sunt, neque Vigilii et Eligii multo inter se descriptione distant*), manifestum est SS. *Audoenum et Eligium inter Senonensis sedis comprovinciales venire non posse; quoniam alter, utpote Rothomagensis sedis episcopus, alius provinciae ecclesiasticae metropolitanus erat, alter, qua episcopus Noviomensis et Tornacensis, ad provinciam Remensem spectabat. Quocirca mea sententia minime ex hoc privilegio concludi potest S. Eligium anno tertio Clotarii III in vivis adhuc fuisse.*

neque propter Clarii testimonium de praetensa synodo Senonensi;

B 40 *Neque videtur negotium facessere posse testimonium Clarii dicentis (b): Anno DCLXXV transiit ad Christum Sanctus Emmo.... Hic privilegium libertatis, una cum comprovincialibus episcopis, monachis Sancti Petri synodally fecit, temporibus Clotharii regis et Baltechildis matris ejus: in quo conventu fuerunt antistites gloriosi, Sanctus Audoenus archiepiscopus Rothomagensis, et Sanctus Faro episcopus Meldensis, Sanctusque Eligius Noviomensis episcopus, et Sanctus Amandus Tregetensium episcopus, cum aliis triginta Episcopis. Nam cum monachus Clarius suum S. Petri-Vivi Chronicum ad finem saeculi XII scripserit, constat inde tantum nomina Audoeni et Eligii in ejus privilegii exemplaria intrusa fuisse, antequam librum suum ordiretur chronographus; praeterea usus forte est Clarii pejori etiam exemplari, quam quod nunc circumfertur, ut ex adscripto nomine S. Amandi, Tregetensium seu Trajecti ad Mosam episcopi, planum conjicere est; tertio, (quoniam mentio de hac synodo incidit et auctoritas Clarii, qui primus eam adstruxit, hinc quoque non nihil vacillare forsitan dicenda est,) illa synodus, quam plerique ecclesiastici historici (plures nominavi superius) ex Clarii narratione admiserunt, mera Clarii conjectura videtur: quandoquidem primo, in saepius dicto privilegio nullum synodi vestigium occurrit; secundo, contrarium apparet ex ipso diplomate: nam, cum initio habeat: Dominis sanctis... Emmo peccator... in Domino praesumit mittere salutem, locum obtinet annotatio D. Michaelis Germain in similem inferius citandam chartam: Cur enim minus ad absentes, quam ad eos coram positos immunitas dirigi potuit, quibus Drauscus episcopus supplex in Domino mittit salutem? qui sane scribendi modus eorum absentiam insinuat (c); praeterea Emmonis diploma desinit in haec verba: Quam etiam constitutionis nostrae de-*

D finitionem manus nostrae subscriptionibus roboratam, PER FRATRES ET CONSERVOS NOSTROS AB-BATES, perpetuis temporibus valituram, ut robustior maneat, VOBIS VEL CAETERIS DESTINAVIMUS INSUPER CONFIRMANDAM STIPULATIONE SUBNEXA, Actum Mausplaco curte dominica anno tertio regni domini nostri Clotharii regis; et continuo sequuntur subscriptiones quorundam comprovincialium episcoporum *Senonensis cathedrae*, quibus privilegium illud confirmandum inscribatur, et quorundam e caeteris Galliae praesulibus, ad quos fratres et conservi Emmonis, abbates, illud detulerint. Quae ut intelligantur, in memoriam revocet lector oportet, his temporibus in more fuisse positum, ut deferrentur diplomata ad plures episcopos aliosque praecipuos viros, qui ea sua subscriptione firmarent; in cujus rei exemplum, ut duo e pluribus seligam, praesto sunt: tum celeberrimum privilegium Berthefridi, Ambianensis episcopi, anno 662 Corbeiensis concessum, et a Sirmundo, Labbe, Harduino, Cointio et Brequigny (d) editum; tum privilegium S. Drausii, porrectum anno x regni Clotarii monasterio S. Mariae Suesionensi et editum a D. Germain in *Historia hujus cenobii* (e), ubi alia similia citantur, quae in *Diplomatibus Brequigny* cum pluribus ejusdem generis reperire est. Quamobrem aestimo male lectum seu intellectum fuisse a Clario S. Petri Senonensis privilegium; quod cum initio septem episcoporum nomina haberet, et in fine viginti sex aut septem subscriptiones, id ipsi visum esse concilium ex triginta quatuor praesulibus constans. Quam dissertatiunculam de privilegio Senonensi ut tandem claudam, nihil ex eo in rem nostram deduci posse arbitror, nisi quod S. Mummolinus (quantum subscriptionibus fides est) anno tertio Clotarii regis III Noviomensem cathedram jam ascendisset.

E 41 *Quandoquidem ex dictis Senonensis charta S. Eligii mortis tempore definiendo parum apta videtur, supersunt duo tantum adjuncta, quae ex S. Audoeni de amico suo descriptione novimus. Fuerat quoque Eligius, ait ille (f), de temporibus Lotharii mediani, mansueti regis Francorum, et toto tempore Dagoberti inelyti principis, necnon et Clodovei filii ejus, et usque ad initium regni junioris Lotharii mansit in corpore. Unde, cum junior Lotharius seu Clotarius III medio mense Novembri anni 656 in pueriles suas manus regni habenas acceperit, et initium regni, quod quatuordecim tantum duravit annos, potius primum aut secundum annum quam tertium aut quartum significet, libenter ego S. Eligii obitum ad kalendas Decembris anni 657 referrem. Nam quod superior annus 656 excludendus videtur, ratio est eum obiisse post Erchinoaldum, majorem-domus; cujus quippe corpus Eligius (verba sunt (g) S. Audoeni) secum pro misericordia referens, sepulturae tradidit. Jam vero Erchinoaldi funesta mors, quam S. Eligius praedixerat, quamque Moeller anno 660, Cointius anno 659, Pagius anno 656 collocat, verisimiliter hoc anno exeunte, seu sequenti 657 ineunte accidit: quod omnino probabile futurum aestimo, si nempe Erchinoaldus post Clodovæ II obitum, sed tamen non diu post vita functus fuerit; quae ex sequentibus constitura spero. Primus scilicet continuator Chronici Fredegarii haec habet (h): Franci quoque Chlotharium filium ejus (Clodovæ II) majorem in regno statuunt, cum praefata regina matre (S. Bathilde). Eodem quoque tempore mortuus est Erchanwaldus, major-domus palatii. Franci au-*

ad annum potius 657 hac mors

(a) Annal. Ord. S. Bened., tom. I, p. 450. — (b) D'Achery Spicileg. t. II, p. 464. Edit. altera. — (c) Hist. de l'abb. royale de N. D. de Soissons, p. 425. — (d) Diplom. ad res Francic. spect., tom. I, p. 241. — (e) Hist. de l'abb. royale

de N. D. de Soissons, pag. 421. — (f) Vit. S. Eligii, lib. II, part. I, cap. I. Act. SS. Belgii select., t. III, pag. 229. — (g) Ibid., lib. II, part. VI, cap. XXVI, pag. 277. — (h) Recueil des Hist. de France, D. Bouquet, t. II, p. 449.

A tem in incerto vacillantes, accepto consilio, Ebruinum in hujus honoris curam ac dignitatem statuunt. Ex quibus postremis verbis, ut id obiter notetur, liquet quod, etiamsi certo sciretur, quo anno Ebruinus major-domus factus sit, inde continuo concludi non posset, quo tempore mortuus sit, Erchinoaldus. Eadem iisdem fere verbis repetit auctor incertus Gestorum regum Francorum (a); et non multum dissimilibus Chronicum Moissiacense (b); neque dissonant Fragmentum Historicum Anonymi, Francorum regum gesta a Dagoberto I usque ad Pipinum regem amplectens (c), et Chronica S. Dionysii (d). Ekkehardus in Chronico universali (e) similiter post narratum Clodovæi II obitum et initium regni Clotarii III subdit: Eo quoque tempore Erchinoaldo, majore-domus defuncto, in locum ejus successit Ebroinus; et Sigibertus Gemblacensis in Chronico, secundum autographum edito (f): Chlodevus, inquit, rex Francorum obiit, et Lotharius filius ejus succedit et IV (imo XIV) annis regnat. Hujus major-domus post Erchinoaldum fuit Ebroinus. Ex quibus dicendi modis mihi manifestum videtur Erchinoaldum obiisse post Clodovæi II funus, neque id multo post contigisse, cum scriptores antiqui conspirent in dicendo eum eodem tempore vita functum esse. Verumtamen, cum nihil urgeat, ut Erchinoaldum et S. Eligium intra quindecim circiter istos dies, qui anno 656 ab initia regni Clotarii usque ad initium mensis Decembris elapsi sunt, mortuos dicamus; quin immo secundum S. Audoeni narrationem plures supra quæ aut tres hebdomadæ inter utriusque funus ponendæ videntur, differre juvat S. Eligii obitum ad diem primam Decembris anni 657; ubi secundus tantum annus et proin initium adhuc regni Clotarii III currebat.

et proin initium episcopatus S. Mummolini pertinet.

B 42 Porro pro hac sententia, quæ Audoeni verbis omnino consona est, episcopatum nactus fuerit S. Mummolinus anno 657 exeunte, aut potius anno 658 ineunte. Contra si quis adhaerere velit sententiæ vulgaris, quam supra, (quantum licuit per instrumenta, quæ aliis firma argumenta, nobis vero non secus ac Brequigny et du Theil incerta valde visa sunt,) firmavi, biennio serius S. Mummolinum episcopatum infulus ornatum statuat oportet. Eas Sancto nostro delatas fuisse, interveniente Clotario III, adstruit Ghesquierus cum recentiori biographo seu antiquioris Vitæ interpolatore: « Inter ea vir Dei Eligius, Noviomensis urbis episcopus, post multa patrata miracula in pace plenus dierum migravit ad Dominum. Cujus in loco fama bonorum operum, quia prævalebat non tantum in theutonica, sed etiam in romana lingua, Lotharii regis (hujus nominis tertii) ad aures usque perveniente, præfatus Mummolinus ad pastoralis regiminis curam subrogatus est episcopus. » Verum hæc Clotarii tertii interventio, quæ legitima omnino erat (ut ex canone x concilii Aurelianensis anni 549, ubi præcipitur juxta antiquos canones electionem a clero et plebe cum voluntate regis debere fieri, manifestum est,) ita explicanda est, ut nomine ejus adhuc impuberis S. Bathildis ejus mater electioni illi consenserit eamque ratam habuerit.

Episcopus electus est S. Mummolinus ob plures egregias suas dotes, et ob peritiam suam linguæ latinæ

C 43 Ut ex præmissis liquet, quadruplex meritum duplici illi diœcesi, Tornacensi et Noviomensi, administrandæ aptum omnino faciebat S. Mummolinus: primum, ejus sanctitas; secundum felix ejus in Sithivensi monasterio probatumque regimen; tertium, concionandi usus; quartum, duplicis vernaculæ linguæ peritia; de qua postrema quædam videntur

D commentanda. Vita, antiquissima mihi dicta, tribuit S. Mummolino latinam et teutonicam facundiam; reliquæ vero Vitæ romanam et teutonicam. Distinctas tamen fuisse, atque ut tales medio ævo habitas fuisse latinam et romanam linguas, liquet ex pluribus locis a Cangio ad vocem romanus adductis; verum hæc distinctio posterior videtur sæculo VII, quo vivebat S. Mummolinus: et quidem vix mihi non omnino certum est, hic latinum, sed simplex idioma intelligendum esse: audias scilicet quo pacto ad plebem loqueretur S. Eligius; citanda verba initium sunt Homiliæ XI, quæ tomo XII Bibliothecæ Patrum Lugdunensis integra exstat: Boni homines, quia vestram fraternitatem aliter necesse est alloqui quam consacerdotes et cooperatores nostros, quibus datum est nosse mysteria regni cælorum: ideo ad vos SIMPLICI ET RUSTICANO utentes ELOQUIO, convertamur, ut tantæ solemnitatis sacramentum juxta parvitatem nostri sensus exponamus vobis RUSTICITATE VERBORUM. Vocatur hæc festivitas, Cena Domini, eo quod hoc die Dominus cœnaverit cum discipulis, eisque sacramentum corporis et sanguinis sui tradiderit.... Reliqua ejusdem simplicitatis fere sunt. Objecit quidem Baro ab Reiffenberg in eruditissima introductione (g) ad Carmina Philippi Mouskes Tornacensis, hanc Homiliam fors non, uti hic jacet, dictam fuisse, sed e sermone magis barbaro in latinum idioma fuisse conversam. At ipse Cl. Vir aliis monumentis ostendit similem sermonem id temporis intellectum fuisse a populo, et Raoux (h) in commentario de linguæ theotisca et gallica idem certum fecit documentis plurimis, imprimis carmine rustico, ut vocatur, inserto Vitæ S. Faronis. Quamobrem cum hæc sancti Eligii verba a plebe Noviomensi intellecta fuisse æstimari possint, non dissimilem fuisse censemus latinam facundiam, qua S. Mummolinus utebatur. Quod vero in sæpe dicta Vita subditur: Ecclesia siquidem Noviomensis romana vulgariter lingua, Tornacensis vero teutonice majori ex parte utitur; utraque autem eruditiori latinorum eloquio, sicut gratia hæc concessa fuerit, ad plenum respondere dinoscitur, interpolatio esse mihi videtur, aut saltem perversio, quod de suis temporibus, non de temporibus S. Mummolini inseruerit auctor. Non tamen negligendus est hic sensus, qui plurimum favet iis, qui linguam teutonicam aut theoticam ex pagis Wallonum, ut loquimur, septimo sæculo excludunt; adeo ut ab hoc tempore limes, Wallones a Teutonicis dividens, nihil fere motus sit. Plura hæc super re proferenda non sunt, quoniam jam a nonnullis hujusmodi quæstiones agitatae fuerunt; quorum præcipua nomina recitantur in laudata Cl. Reiffenbergii introductione ubi eadem de re egregius commentarius legitur.

E 44 Biographi vero asserta de lingua teutonice et theotiscæ. aut theotisca majorem difficultatem pariunt, non quidem ob Francos qui in S. Mummolini diœcesibus victitabant, sed quoniam non una atque eadem opinio est de Menapiis, quibus diœcesis Tornacensis imprimis constabat. Alii enim eos Gallo-Belgas, alii Germano-Belgas faciunt. Hi quidem nullam patiuntur difficultatem, ut eis theoticam linguam assignent, quod manifestum est; qui vero priorem sequuntur sententiam, non ita facile se expediunt. Ne tamen hæc de S. Mummolino scriptio justo longior fiat, satis mihi fuerit hanc indicasse quæstionem, de qua in alterutram sententiam demum scripserunt plurimi; quorum præcipuos recensuit quoque laudatus Reiffenbergius in allegata introductione, et

(a) Recueil des Hist. de France, D. Bouquet, t. II, p. 569. — (b) Ibid., p. 652. — (c) Ibid., p. 692. — (d) Ibid., t. III

p. 304. — (e) Pertz Monument. Germaniæ Scriptt., tom VI, p. 118. — (f) Ibid., p. 325. — (g) p. xcvm. — (h) p. 35 et seqq.



A alter scriptor in Bibliotheca Celtica Germanica Belgica, subjecta operi de pristino Belgio, in quo ipse probare tentavit (a) Menapios origine Germanos esse. Porro cum S. Mummolinus latina seu corrupte latina, et theotisca facundia polleret, facili negotio homilias suas ad totius sui gregis oves habere potuit; et simili emissa sententia, notat Ghesquierus postea episcopis injunctum fuisse duplici lingua suas habere homilias: sic concilium Remense anni 813 canone xv præcipit, ut episcopi sermones homilias sanctorum patrum, prout omnes intelligere possint, SECUNDUM PROPRIETATEM LINGUÆ prædicare studeant (b); et concilium Turonense tertium ejusdem anni 813 canone xvii, post enumeratas homiliarum materias, monet, ut easdem homilias quisque aperte transferre studeat in rusticam romanam linguam aut theotiscam, quo facilius cuncti possint intelligere quæ dicuntur (c). Atque hic canon aliis ecclesiis ita placuit, ut triginta quatuor annis post, concilium Moguntinum, quod Labbeus quoque edidit (d), iisdem fere verbis canonem illum adoptaverit. Tempore S. Bernardi, ubi in Gallis sola fere rustica romana lingua apud plebem obtinebat, dicebatur in monasteriis duplici quoque idiomate, latino ad religiosos choro addictos, rustico romano ad fratres laicos: cujus homiliarum generis, in hoc idioma versarum, supersunt etiamnum, inter S. Bernardi opera, fragmenta. Sed de his satis. Atque mens nobis erat hic loci inserere dissertationem de amplitudine et mutationibus dioceseon Noviomensis et Tornacensis, quæ jam sub episcopatu S. Medardi usque ad annum 1146 unitæ fuerunt, (ut ostendit Ghesquierus (e) in Commentario de S. Medardo); sed cum in immensum excrescat præsens volumen Actorum, eam ad alius Noviomensis et Tornacensis præsulis Vitam seponere visum est.

§ IV. Expenditur duplex in S. Mummolinum accusatio; exponitur translatio corporis S. Eligii, promotio S. Ebertramni, pactum cum S. Bertino et plures subscriptiones.

C  
Liberatur S. Mummolinus crimine culpabilis dubii.

R eliqua S. Mummolini gesta illustrans Ghesquierus, sic § III sui de S. Mummolino Commentarii exorditur: « Nonnulla sunt S. Mummolini gesta eaque omnino certa, quæ biographus ejus ne aliter quidem attigit, seu quod ipsi perspecta non fuerint, (vidimus supra num. 6 biographo omnino cognitam fuisse S. Eligii Vitam, ex qua hæc eruuntur) seu potius quod existimavit, aut nihil aut parum ad comprobendam ejus vitæ sanctitatem conducere. Et sane ex his unum alterum est, quod tantum abest ut eum omni peccati labe immunem semper fuisse demonstraret, ut contra omnino evincat, humani aliquid subinde passum esse, atque vel ex animi perturbatione vel ex fragilitate humana deliquisse, paulo scilicet postquam ad Noviomensem cathedram evectus fuisset. » Hæc Ghesquierus, duriori fors censura S. Mummolini gesta perstringens. Equidem, etsi is non sim qui cuncta Sanctorum acta, seposita ipsius catholice Ecclesie doctrina, sancta, innocua, meritoria statuam, non tamen in duplici mox referendo facto verum delictum, sed ad summum merum errorem video. Fatendum sane est S. Audoeni, ex cujus

(a) Les Pays-Bas avant et durant la domination Romaine t. I, p. 38. — (b) Collect. concil. Labbe, t. VII, col. 1256. — (c) Ibid., col. 1263. — (d) Ibid., t. VIII, col. 42. — (e) Act.

D scriptis innotescunt, maxime hæc displicuisse, et ut genuinas culpas habita fuisse; sed modus quo S. Audoenus de S. Mummolino loquitur, nescio quem torum oculum sinistramque animum arguat; ita ut, dum facta admittuntur, abstinendum videatur a judicio, quod de eis ille fert aut suggerit. Cui rei ansam fors dederunt Hibernicæ aut Scoticæ consuetudines, quas Laxovio haustas, servabat absque dubio S. Mummolinus cum cæterorum episcoporum gravamine. Porro prius factum in litteras retulit his verbis (f): Vir quidam sive ex causa, sive absque causa, ferreis quondam nexibus constrictus, cum ad supplicium duceretur, clancule... elapsus ad ecclesiam Sancti Eligii confugit, ubi... repente disrupta catena, qua premebatur,... cecidit... Mox prædiores... rursus acceptam catenam in collo ac manibus ejus injiciunt... Orat miser; et effracta catena, longius ab eo prosiluit. Deinde jam omnibus recedentibus, solaque catena dissipata in testimonium remanente, cum aliquot horarum fluxisset spatium, supervenit episcopus ejusdem loci, et audiens de miraculo quod ibi tunc acciderat, visus est ad horam dubitasse, qui statim inde progrediens cum ascendisset equum, quo illuc advectus fuerat, mansuetissimum, mox ab eo in terram projectus, gravissimis doloribus est confectus. Et confestim culpam dubietatis episcopus reminiscens, palam coram omnibus confiteri est compulsus; sique inde sublevatus, et salutem post dies plurimos adeptus, cautus deinceps in talibus est redditus. Quid culpæ, quæso, est non continuo acquiescere testimonio unius, quantum noverat Sanctus, nebulonis (omnes enim recesserant) tale miraculum enarrantis? S. Mummolini prudentiam miror, ejus dubietatem non culpo. Quod vero ab equo dejectus fuit, atque id penam sibi divinitus inflatam astimavit, culpam minime probat.

46 Alterum factum sequenti capite sic exponitur (g): Et quia se occasio præbuit, quod de hujusmodi conditione loqui deberem, dicam et aliud hujus rei simillimum. Dum igitur adviveret vir beatus, habuerat equum unum inter cæteros mansuetissimum, cui cum necessitas poposcisset, plerumque sedere consueverat; post cujus videlicet discessum ad ditionem abbatis, qui eidem basilicæ præerat, idem equus pervenerat; super quem vir apostolicus Mummolenus ejusdem loci episcopus inhiante sitiens, violenter eum prædicto abbati subripuit, suoque juri vindicavit. Abbas vero, nihil ei obtendere audens, ad Sanctum illico perrexit Eligium, eique multa deplorans causam hanc commendavit. Cum ergo prædictus equus ad ditionem episcopi fuisset perductus, cæpit statim pedibus condolere, ac toto corpore marcescente tabescens, decidere: tunc episcopus, adhibito mulomedico, jussit ei studium impendere, quo scilicet sanari potuisset: sed quamvis ei cura sedule impenderetur, nihil prorsus proficere poterat: insuper etiam cum ad eum aliquis accessisset, velut fera agrestis in fremitu et calces prosiliens laniare curatorem suum nitebatur. Cumque hæc per dies plurimos faceret, nullatenusque melioraretur, tandem verens episcopus ne eum, si hoc in periculo permaneret, totum perderet, cuidam illum matronæ sibi dilectæ doni gratia obtulit, quem illa acceptum diligenti cura studari fecit: cujus cum dorsum die quadam iter arripiens insedisset; statim calcibus et stridoribus immensis actus,

et injusto abrepti equi accusatione,

SS. Belgii select., t. II, p. 117 et seq. — (f) Vit. S. Eligii, lib. II, cap. XLV. Act. SS. Belgii, t. III, p. 293. — (g) Ibid., cap. XLVI, p. 293 et seq.

graviter

A graviter eam in terram collisit, in tantum graviter, ut per totum fere annum eadem conquisitione laborans ægra decumberet : quæ nimium fœmina cum se sentiret vehementer aggravari, remisit episcopo quem dederat equum, et cum eo pariter pro munere exacerbationem, ac pro gratiarum actione probra mandavit; quem episcopus receptum rursus diligere \* jussit, sed cuncta ejus diligentia incassum consumebatur, et quantum plus cura adhibebatur, tantum semper idem in pejus delabebatur. Post hæc autem exstitit quidam presbyter religiosus, qui daret episcopo consilium, quatenus videret, cum nihil apud se posset equus proficere, redderet illum eidem abbati, cui dudum injuste ablatus fuisset; et cum secundum ejus consilium factum esset, post paucos dies sanus factus equus, ac mansuetissimus redditus, sub jure ejusdem abbatis permansit omni forma decorus. Huc usque S. Audoenus.

diligenter  
curare

quam plurima  
adjuncta  
infirmant.

B 47 Gravis sane accusatio; sed ita gravis, ut, si quis attendat S. Mummolinum episcopali nuper dignitate auctum fuisse, eum antea in Sithivensi monasterio SS. Bertini et Ebertrannum ad sanctitatis leges instituisse, et magni eum factum a S. Audomaro, explicationem, si quæ solida reperiri possit, facile admittere debeat. Jam vero, ut diximus, S. Audoenus, hæc narranti, alienum a S. Mummolino animum fuisse, ob Scoticas forte consuetudines, undique apparet: nam, ut alia multa taceam, quis crederet ab episcopo talia de collega litteris creditum iri, nisi quædam exstitisset similitudo? Secundo, unam tantum partem, abbatem scilicet Sparvum, audivisse videtur S. Audoenus; quæ altera ratio maxime ejus minuit auctoritatem: quid enim, ut a similibus arguamus, sentiremus de S. Joanne Chrysostomo, unius S. Hieronymi dictis cognitis (a)? Quid de S. Lullo, Egile S. Sturmii biographo solo audito (b)? Tertio, alii episcopi et regina S. Bathildis modo omnino diverso judicaverint oportet de hoc negotio: nam si verum furtum fuisset, secundum canonem x concilii Parisiensis, anno 615 celebrati, usque ad emendationis suæ vel restitutionis rei ablatæ tempus, a consortio ecclesiastico vel a Christianorum convivio habitus fuisset alienus sanctus Mummolinus; et tamen interea, ut ex ipso S. Audoenus (c) luculenter colligimus, transtulit S. Mummolinus, aliis episcopis, clero et S. Bathilde operam conferentibus, sancti decessoris sui Eligii corpus; unde sane liquet aliam fuisse Sparvi, aliam collegarum S. Mummolini sententiam. Quarto, persuasum esse debet (quandoquidem de certis fieri non solet litigatio) S. Eligii donationem non constituisse S. Mummolino vel ex testamento, vel ex alio authentico instrumento: quamobrem, cum id temporis jam obtineret usus diripiendi defunctorum episcoporum res domesticas, idque aliquantum locum habuisset in ipso S. Eligii funere, (diaconum scilicet, natione Suevum, rachimam seu lecti stratum furatum fuisse tradit ipse S. Audoenus) (d), mirum esse non debet S. Mummolinum episcopio, cujus ipse naturalis defensor erat, vindicasse equum, quem non certo noverat a decessore suo donatum fuisse. Quamobrem cum bona fide S. Mummolinus equum hunc ad res episcopales pertinere credere potuerit, facile cernere est, ejus agendi rationem eam fuisse, qua quis ab inferiore suo læsus, vulgo uteretur: videlicet quem bona fide sibi competere credit equum, ab abbate canobii Noviomensis repetit: quo cum uti non possit, non abbati, ne in-

de in se erigatur, sed alteri permittit; et demum receptum, cum nihil apud se possit equus proficere, ex amore pacis servandæ et scandali, ex monachorum ira forte orituri, vitandi causa, misellum animal ad eos remittit: quod vero pertinet ad miracula et prodigia, quibus divinam voluntatem indicatam vult S. Audoenus, ea supra communem ordinem non reputavit S. Mummolinus, siquidem mulomedicum adhibuerit; et quidem nescio an multi inter pios virtutis cultores sint, qui ob ejusmodi ostenta quidpiam de jure suo cederent. Atque hæc satis sunt, ut vel omnem a S. Mummolino avertant culpam, aut saltem quam maxime dubium faciant.

48 Hæc autem, quaecumque tandem de eis feratur judicium, primo anno S. Mummolini episcopatus necdum expleto contigerunt, prout eruitur ex ipsa S. Audoeni narratione, qui factis hisce aliud subnectit Sancto nostro perhonorificum, similiter ante exitum anni primi ab obitu S. Eligii inchoatum: His ita gestis, inquit (e), cum corpus Beati Eligii in latere altaris esset sepultum, visum est episcopo (Mummolino nempe) et reginæ (Bathildi) consilium optimum, ut ædificata ultra altare volutione (fornicem seu testudinem, gallice une voute intellige) illic ei demum condignam facerent translationem. Tum post nonnulla magis ad S. Eligium quam ad S. Mummolinum pertinentia, prosequitur Audoenus his verbis: Sic igitur cum antistitis (Mummolini) præsidio opus aggredientes optatum, dignum Beato Confessori (Eligio) atque honorabile construxerunt mausolæum. Interea appropinquante die depositionis ejus annuali, (igitur dicta ante exitum anni primi ab ejus obitu contigerunt) parabant equidem cives quemadmodum ei honorificam facerent translationem. Præparabat etiam regina (Bathildis) vestimenta omnia holoserica nimium pretiosa, ut eum in die migrationis exueret illa quæ dudum cum eo miserat indumenta, et indueret ea quæ tunc præparabat nova. Igitur cum anno jam vertente, dies depositionis ejus advenisset, convenit in oppidum copiosa populi multitudo; tunc cuncto clero canore vocis celebrante melodiam, omnibusque Christianis insistentibus exubiis, ablata est cum diligentia tumba desuper Confessoris membra: deinde cum esset levatum tumuli opertorium magnum circumstantibus visum est miraculum... Tunc episcopi (scilicet Mummolinus, iique quos in peragenda translatione corporis S. Eligii adjuutores habebat) cum tremore magno levantes eum de tumulo, vestimenta ei pretiosissima, quæ regina paraverat, mutaverunt omnia; ea quoque quibus dudum oblectus fuerat, eundem exuentes, cum magna diligentia deposuerunt sub sigillis; ac sic demum... a loco, quo jacuerat vir sanctus, tunc coram cunctis submotus, cum summo et honorifico studio deponitur, atque in præparato sibi sepulcro urbane, ut decebat, componitur æternæ memoriæ servandus, ampliusque quotidie honorificandus. Sic hæc contraxit Ghesquierus ex lib. II cap. XLVII Vitæ S. Eligii.

49 Ad primum quoque S. Mummolini episcopatus annum referendum esse censet Ghesquierus, ac fortassis ad ipsum ejus initium peractam a S. Mummolino Ebertranni, pristini sui in Luxoviensi monasterio, dein in vita apostolica, et in Sithivensi monasterio socii, promotionem ad abbatiam S. Quintini Veromanduensis, uti ex verbis secundæ Vitæ S. Bertini ab auctore anonymo, circa initium sæculi x conscriptæ, satis aperte colligitur. « Sic enim ille,

Transfert  
corpus S.  
Eligii.

E

F

S. Ebertrannum abbatem Sævi-Quintilianum constituit; et pactum initium S. Bertini:

(a) S. Hieronymi epist. 88, t. IV Oper. col. 727. Edit. Paris. 1706. — (b) Cfr infra Comment. de S. Lullo, § vi. —

(c) Act. SS. Belgii, t. III, p. 294 et seq. — (d) Ibid., p. 290. — (e) Ibid., pag. 294.

A " ait Ghesquierus, cap. I, num. 6 : Interea de-  
 " dente Achario (imo S. Eligio) episcopo urbis  
 " Noviomæ, ad episcopatum ejusdem urbis vene-  
 " rabilis vir Mummolinus provehitur, et Eber-  
 " trannus cœnobio Sancti Quintini a Mummolino  
 " præfertur. Quibus verbis anonymus, vel eo ipso  
 " tempore, quo ad episcopatum Noviomensem eve-  
 " ctus est, vel certe paulo post, Ebertrannum præfate  
 " ecclesiæ S. Quintini a Sancto nostro abbatem  
 " præfectum fuisse satis indicat. Ut sit, jam tum  
 " saltem ei præerat Ebertrannus, cum Mummo-  
 " linus episcopus cum Bertino Sithivensi abbate  
 " pactus est permutationem quorundam honorum,  
 " cujus meminit Folquinus diaconus, quamque  
 " Cointius anno Christi 661, Stillingus vero anno  
 " 662 peractam scribit. Quæ sententia Stilingi  
 " sane verisimilior est, cum mense Februario, anno  
 " VI regni Chlotarii III, a medio mense Novembri  
 " anni 661 ad medium eundem mensem anni 662  
 " corrente, hanc donationem ratam habitam fuisse  
 " novimus. Sed tantillum discrimen, pergit Ghes-  
 " quierus, nos morari non debet, quin ipsa subi-  
 " ciamus Folquini verba, qualia apud Mabillonium  
 " (a) exstant. En illa : Sub Francorum quoque  
 " principe (Chlotario III) prædicti regis Hludo-  
 " vici filio, anno ipsius vi, Verbiq; incarnati  
 " DCLX, placuit venerabili viro Mummoleno  
 " Noviomensi episcopo, domnoque Bertino abbati  
 " de Sidiu monasterio inter se aliqua permutare  
 " locella deditque venerabilis Mummolenus epi-  
 " scopus domno Bertino abbati villam nuncupa-  
 " tam Vallis, quam de parte dederat viro reve-  
 " rentissimo Ebertranno abbate de Sancti Quin-  
 " tini cœnobio pro alia villa cognomento Tunni-  
 " nio, seu et in Brago et in Glindono, vel in  
 " Selertiago. Hæc quinque locella domno con-  
 " cessit Bertino. Et e contrario vir venerabilis  
 " Bertinus dedit Mummolino episcopo portionem  
 " suam de villa nuncupante Vausune, in pago  
 " Constantino, et locum aliud Launardiaca villa  
 " ad integrum; quam commutationem regia  
 " auctoritate confirmare petierunt: quod et fa-  
 " ctum est. "

B  
 \* Lothario  
 addit Guer-  
 rard.  
 \* V malescri-  
 bit Guerard.

illa S. Eber-  
 tranni insti-  
 tutio postea  
 liti fovenda  
 adhibita est;

C 50 Hæc Ebertranni promotio aliæque similes  
 causæ magnam olim suscitaverunt litem, de qua  
 plurimi jam scripserunt historici aut apologi. Quæ-  
 stio autem erat utrum ecclesia S. Quintini olim a  
 monachis an a clericis aut canonicis fuisset occupa-  
 ta; quod si nunquam a monachis, deducebant inde  
 San-Quintiniani eam totius Noviomensis diœcesis  
 antiquissimam esse, cæterarumque matrem; quæ  
 antiquitas non sine quibusdam juribus existere pot-  
 erat. Tria penes me sunt opera, quibus hac super re  
 dissertationes immiscuntur: horum recentissimum est  
 Historia antiquorum jurium San-Quintinopolis,  
 auctore Ludovico Hordret (b); aliud Commentarii  
 sunt ad historiam Veromanduorum (c), auctore  
 sæpe citato Ludovico Paulo Colliette, qui cum non  
 tantum San-Quintiniani districtus decanus, sed et  
 Sancti-Quintini regis ecclesiæ capellanus esset, hujus  
 ecclesiæ jura totis humeris sustentare conatus est,  
 condita amplissima dissertatione, quæ tomo I dicti  
 operis inserta est; tertius vero Hemeræus mihi est,  
 qui passim in suo opere, Augusta Viromanduorum  
 illustrata, ea de re agit (d). Verum cum reipublicæ  
 et Ecclesiæ in Gallis perturbationes omnia ex anti-  
 quitate orta jura San-Quintinianæ ecclesiæ ademe-  
 rint, atque proin unicuique jam liberius suam super

(a) De re diplomat., p. 605. Cfr Chartularium Sithivense.  
 Edit. a cl. v. Guérard, ex quo correxi. — (b) Legendæ im-  
 primis p. 92 et seqq. — (c) Mémoire pour servir à l'hist.  
 du Vermandois, t. I, p. 252 et seqq. — (d) Vide imprimis

D istiusmodi rebus proderent sententiam liceat, non du-  
 bito asserere tam evidens esse ecclesiam S. Quintini  
 tempore S. Eligii et S. Mummolini atque duobus  
 sæculis post a monachis possessam fuisse, ut quis  
 controversiarum quam veritatis amantior dicendus  
 mihi sit, qui illud admittere renuat. Non vero est  
 quod hic latius hac de re argumenta depromamus,  
 cum apud ipsam Colliette, præter viri voluntatem,  
 sat multa sincerus lector reperiet, quibus convellatur  
 manca ipsius præsentio, dummodo reperta ad suos  
 fontes referre velit.

E 51 Ex Folquini verbis, quæ paulo supra recita-  
 vimus ad indicandum, quo circiter tempore S. Mum-  
 molinus Ebertrannum præfecerit monasterio San-  
 Quintiniano, colligere simul licuit anno VI Clotarii  
 regis commutationem ab eo fuisse initam cum S.  
 Bertino. Ut notavit Folquinus, Clotarius, seu si  
 navis, Bathildis ejus mater confirmavit hanc per-  
 mutationem. Cujus confirmationis litteræ exstant in  
 tractatu Mabillonii de re diplomatica (e), in supple-  
 mento operum diplomaticorum Miræi (f), in Colle-  
 ctione scriptorum rerum Francicarum D. Bouquet  
 (g), inter Diplomata Brequigny (h), et in Cl. V.  
 Guérard Sithivensi Chartulario (i). In quo diplo-  
 mate Ebertrannus, non ut apud Folquinum de Sancti  
 Quintini cœnobio abbas, sed abbas de basilica  
 Sancti Quintini dicitur. Verum cum Valesius se-  
 parato opusculo, Disceptatione scilicet de basilicis,  
 quas primi reges Francorum condiderunt, an ab  
 origine monachos habuerint, majori suo operi de  
 Rebus Francicis dein adjecto, adversus Launoyi di-  
 cta affirmantem sententiam fauste propugnaverit,  
 distinctio inter abbatem de cœnobio et abbatem de  
 basilica in verbis tantum hæret. Quod secundo loco  
 super hoc diplomate notandum est, semel in eo dici-  
 tur S. Mummolinus episcopus vel abbas: quod  
 utrum vitium sit a Folquino inter describendum ad-  
 missum; an vero alludatur ad pristinum ejus munus  
 in monasterio Sithivensi; an, quod jam tum inter-  
 dum fiebat, episcopale cum nescio quo abbatiati  
 pedo conjunxerit, aliis definiendum relinquo. Tertio  
 notetur in hoc contractu metropolitani mentionem  
 non fieri, quoniam mera commutatio erat, et solum  
 secundum canonem XII concilii Epaonenis anni 517  
 nullus episcopus de rebus ecclesiæ suæ sine conscien-  
 tia metropolitani sui, vendendi aliquid ha-  
 bebat potestatem, utili tamen omnibus commuta-  
 tione permessa. Quarto, recte animadvertit Ghes-  
 quierus Iperium cap. I, part. 10, hujus permuta-  
 tionis et diplomatis Clotarii meminisse; cætera vero  
 narrari ab Iperio, ut hic relata sunt; sed perperam  
 asseri villam Vausune, aut Vasime, ut ipse vocat,  
 S. Bertino obvenisse ex hæreditate paterna; quem  
 errorem, (miror eum recurrere in opere Truderti  
 Neugart (k), Germania sacra), docte jam refutavit  
 Stillingus in Commentario de S. Bertino (l), dis-  
 tinguens pagum Constantiensem in Germania a  
 pago Constantino, et censens per pagum Constan-  
 tinum, in quo villa illa sita esse affirmatur, desi-  
 gnari pagum Constantinum, situm in hodierna,  
 aut si navis pristina, Normania ad Oceanum; qui  
 pagus vulgo le Cotantin, vel le Coutantin dicitur;  
 id nomen sortitus a Constantia Gallica (Coutances),  
 ut Valesius ostendit in Notitia Galliarum (m). Qua  
 de re plura videsis in memorato Stilingi Commen-  
 tario. Et quinto demum noverit lector Ebertrannum  
 anno 1785 adscriptum fuisse Calendario San-Au-  
 domarensi et anno 1817 Calendario Atrebatensi;

p. 114. — (e) P. 605 et seq. — (f) T. II, p. 925. — (g) T. IV  
 p. 643. — (h) T. I, p. 237. — (i) P. 20 et seq. — (k) T. I,  
 part. I, p. 38. — (l) Act. 88., t. II Septemb., p. 556. —  
 (m) P. 156.

et

A et abhinc utrobique die XXIV Januarii sortitum esse festum.

Subscripsit S. Mummolinus testamento S. Amandi et dicitur Sant-Amandinum templum consecrasse;

52 « Vidimus supra, denique pergitur cum Ghesquero, S. Mummolinum una cum episcopis aliis quot translationi S. Eligii piam sedulamque navantem operam; ipsam nunc videamus Elnonensis templi consecrationi operantem, una cum S. Reolo episcopo Remensi, Sancto Amando Trajectensi quondam antistite, S. Vindiciano Cameracensi atque Atrebatensi episcopo, S. Bertino Sithiensi abbate, binisque aliis abbatibus, nimirum Aldeberto Bavoniano, et Joanne Blandiniensi. Elnonensis chronographus apud Buzelinum lib. II Annalium Gallo-Flandriae hoc fere modo rem gestam refert: S. Amandus, quod erecerat Elnone templum (Sancti Amandi seu Amandinum postea dictum) insigni pompa dedicavit in honorem Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, convocatis episcopis in monasterio Elnone: Reolo archiepiscopo Remensi, Mommoleno Tornacensi et Noviomensi, Vindiciano Cameracensi et Atrebatensi, abbate Bertino, Aldeberto, Joanne, quibus subscribentibus testamento adscribitur, anno secundo regni Domini nostri Theodorici regis, sub die XV kalendas Maii, seu XVII Aprilis. De anno autem, quo haec facta sunt, disputavit latius Ghesquierus (a) ostenditque testamento huic verisimiliter episcopos illos atque abbates subscripsisse eodem die, quo Elnonense templum consecratum fuit, nimirum XVII Aprilis, quae dies anno 679 in Dominicam incidebat, inchoato tunc anno secundo monarchiae Theodorici regis. Caterum, ita pergit Ghesquierus, tametsi S. Amandus episcopalem dignitatem jam pridem adeptus esset, atque ipse Elnonense templum erecisset, non dubium tamen est, quin S. Mummolino, utpote in cuius Tornacensi diocesi templum illud situm erat, praecipuus in illius consecratione partes detulerit; ut adeo non abs re asseratur Mummolinus Elnonensem basilicam consecrasse, rogante Amando, cuius testamento subscripsit, quemadmodum in Officiis propriis diocesis Tornacensis, anno 1731 editis (b), lectione VI legitur. Dubium id tamen nobis est ob praesentiam S. Reoli metropolitani.

53 Aliis quoque nec minus solemnibus instrumentis calculum suum adiecit Mummolinus, videlicet privilegio Emmonis Senonensis, monasterio Senonensi S. Petri-Vivi anno III Clotarii regis concessio; de quo § III late actum est. Triennio post, sub die scilicet XVIII Maji anno VI regni domni... Clothacarii regis, signum suum apposuisse reperitur S. Mummolinus chartae, qua S. Audomarus, Teruanensis episcopus, basilicam S. Mariae, in opido dein de S. Audomaro appellato a se constitutam, et sub patrocinio S. Bertini regendam, ab omni episcopali subiectione exemit. Chartam hanc, quam partim vulgavit Mabillonius (c), integram vero Malbrancq (d), Stiltingus in Commentario de S. Bertino (e), Brequigny (f) juxta apographum collatum cum chartulario Folquini, Cl. V. Guérard (g) juxta idem chartularium, alique, adorti sunt quam plurimi, e quibus: Coitinius in Annalibus ecclesiasticis Francorum (h), et defensores ecclesiae San-Audomarensis (i), nominasse satis fuerit; alii vero strenue propugnarunt, quos inter: Benedictini, Novi de

re diplomatica tractatus auctores (k), assertores jurium monasterii Sithivensis (l), et Brequigny (m); ex qua vero parte collocem Stiltingum nostrum (n), qui propter subscriptiones, difficultatem nonnullam incurrentes, eam integram asserere non audet, neque tamen supposititiam, non omnino video. Quidquid sit de fide harum subscriptionum, cum aliunde constet, ut ostendit Stiltingus (o), ecclesiam illam a S. Audomaro datam fuisse Sithivensi abbati, S. Bertino; et praeterea cum Sam-Bertiniani probarint privilegium absolute libertatis, praefata charta contentum, jure a se vindicari, ita ut id eis solemniter iudicio curia Parisiensis confirmavit die III Februarii anni 1778 (p); ipsa charta, quae nullis probabilibus argumentis impelli potest, ut late diduxit Stiltingus, omnino admittenda videtur; et quod ad subscriptiones attinet, si quae mutatae aut dein appositae fuerunt, has inter referendum non est signum S. Mummolini; quem dubium non est, ei suam apposuisse nomen, cum tot vincula eum SS. Audomaro et Bertino jungerent, et non ita procul a Teruana habitaret. Ejus autem subscriptio, quae prima post S. Audomari venit, ita sonat: In Christi nomine Mummolenus, acsi peccator, episcopus, rogatus pro indiculo domni Audomari subscripsi. Sequenti anno subscripsit idem Sanctus alteri diplomati, Bertefredi nempe, episcopi Ambianensis, pro libertate monachorum Corbeiensium. Edidit J. Mabillonius hujus diplomatis partem in Annalibus Benedictinis (q), alii vero plures integram, ut num. 70 notavimus. Launoyus et Coitinius pro viribus id impugnarunt. oleum tamen perdentes et operam, ut colligitur ex Brequigny (r). Datum id fuit sub die octavo idus Septembris anno septimo regnante Clotario rege, Captuniaco in palatio publice. Unde corrigendus est Ghesquierus (s), qui, praeter morem suum Galliae Christianae dicta ad fontes non referens, annum sextum regni Clotarii notavit. Refertur haec charta a Brequigny ad annum 622, quoniam initium regni Clotarii III a die VI mensis Septembris anni 656 computavit; verum cum secunda hebdomade mensis Novembris anni 659 annus tertius adhuc curreret, ut superius cum Pagio adnotavimus, liquet diem octavum idus Septembris anno septimo regni Clotarii cum die sexta Septembris anni 663 convenire. Sub eodem Clotario calculum quoque suum apposuit diplomati S. Drausii, episcopi Suessionensis; quod supra num. 40 jam citavimus. Quoniam vero diploma illud inscribitur S. Mummolino et septem aliis provinciae Remensis episcopis, qui omnes fere ad calcem cum aliis ex vicinis ecclesiasticis provinciis subscripserunt, manifestum fit diploma illud circumlatum fuisse, non secus ac Senonense, de quo paulo supra iterum diximus, neque necessario proinde S. Mummolinum tetendisse Augustam Suessionum, ubi VI kalendas Julii anno decimo Clotarii, gloriosi regis, constitutio illa acta est, seu concessa. Neque unica hujus circumferendi diplomatis ratio erat, quod moris ferme esset, ut provinciales episcopi hujusmodi constitutiones suo confirmarent chirographo: nam, ut loquitur D. Michael Germain (t), notatu dignum est, privilegium istud ad comprovinciales dumtaxat Remensis metropolis antistites fuisse directum, eo quod illi certis casibus abbatissarum interessent electionibus, uti Carolus Calvus in diplomate (u)... proficitur anno 846. Demum sub Childerico II sub-

(a) Act. SS. Belgii, t. IX, p. 181. — (b) P. 214. — (c) Annal. Ord. S. Bened., t. I, p. 419. Edit. Luc. — (d) De Morinis, t. I, p. 669. — (e) Act. SS., t. II Septemb., p. 566. — (f) Diplom., t. I, p. 238 et seq. — (g) Cartulaire de l'abb. de St-Bertin, pag. 23 et seq. — (h) T. III, p. 516. — (i) Vérité de l'église de St-Omer, p. 100 et seq. — (k) Nouv. Trait. de diplomat., t. V, p. 4 et seq. — (l) Origine de

l'abb. de St-Bertin, p. 71 et seq. — (m) Diplom., t. I, p. 238 et seq. — (n) Act. SS., t. II, p. 567 et seq. — (o) Ibid., p. 565 et 570 et seq. — (p) Brequigny Diplom., t. I, p. 238. — (q) Ad annum 663, § I, t. I, p. 432. Ed. Lucen. — (r) Diplom., t. I, p. 241. — (s) Act. SS. Belgii, t. IV, p. 409. — (t) Hist. de l'abb. royale de N. D. de Soissons, p. 425. — (u) Vide ibid. diploma., p. 427 et seq.

scripsit

A scripsit Sanctus litteris S. Bercharii pro monasterio Dervensi; quas anno 672 concessas fuisse statuit colendus meus collega in Commentario de hoc Sancto, qui continuo hic sequitur; de eodem diplomate plura ibidem videat lector. Atque hæc sunt S. Mummolini gesta, prætermissa a biographis, aliunde tamen antiquis firmata testimoniis.

§ V. De morte, sepultura, elevatione et translatione Reliquiarum S. Mummolini; de Reliquiis concessis monasterio S. Bertini.

Anno 683, seu secundu alios anno 683 mortuus, S. Mummolinus sepellitur in sacello S. Georgii, dein SS. Apostolorum, et demum S. Godebertæ dicto,

Quæ adjuncta S. Mummolini mortem comitata fuerint, satis explicant biographi; quod vero pertinet ad tempus, aliunde id inquirendum videtur. Porro consentiunt omnes S. Mummolini biographi cum biographo S. Audomari (a) in assignandis ejus episcopatus viginti sex annis: unde cum eum vel anno 657 exeunte vel 658 ineunte ad Noviomenses atque Tornacenses insulas evectum fuisse dixerimus, oportet ut ejus obitum anno 683 illigemus, qui vigesimus sextus ejus episcopatus erat. Alii vero, qui eum biennio tardius ad episcopalem sedem promotum statuunt, biennio quoque serius ejus mortem referant oportet. Itaque, cum jam moriturus esset, paternis verbis monuit clericos suos, corpusque suum extra urbem condi jussit; cui jussioni obsecundans ejus clericus, sepelivit eum extra mœnia ante portam castrî, juxta monasterium, quod tempore biographi alterius jam dudum in honorem duodecim Apostolorum fundabatur, quo in loco statuta erat congregatio sanctimonialium. Antiquiores vero biographi paulo aliter locum exprimunt, cum dicunt: extra muros ante portam aquariam; in ecclesia Sanctorum sepultus est Apostolorum. At duplex hic oritur quæstio: prior scilicet, quomodo sibi consent hæc duo asserta, S. Mummolinum sepultum fuisse juxta ejus mandatum extra mœnia aut muros ante portam castrî seu aquariam, et simul conditum fuisse juxta monasterium exstructum in honorem duodecim Apostolorum, cum, ut habet Papebrochius (b), teste Ludovico de Montigny, Noviomensis Ecclesiæ archidiacono, in annotatis suis ad Vitam Sanctæ Godebertæ Virginis (c), anno 1630 Parisiis editam, et alio non minus securo teste Colliette passim in suis de pago Veromanduorum commentariis, monasterium duodecim Apostolorum jam pridem una ex decem Noviomensis urbis parochiis fuerit. Altera quæstio in hoc versatur quod S. Mummolinus a pluribus biographis in ecclesia Sanctorum Apostolorum sepultus fuisse dicitur, et tamen in recentioribus nonnullis de eo sacris lectionibus, quas propugnator jurium ecclesiæ Sant-Audomarensis allegat (d), et in Annalibus Benedictinis (e) statuitur S. Mummolinum in communi cœmeterio Christianorum fuisse sepultum; quod commune cœmeterium certe non erat hæc ecclesia, tum quoniam exigua erat valde, tum quoniam sacri canones vetabant ecclesiam commune cœmeterium esse, ut late imprimis videre est apud Ludovicum Thomassinum de disciplina Ecclesiæ (f).

quod tum erat in suburbio Noviomii,

55 Ad priorem quæstionem jam respondit Ghesquierus in Commentario de S. Mummolino num.

(a) Act. SS., t. III Septemb., p. 399. — (b) Act. SS., t. II Apr. p. 33. — (c) P. 63. — (d) Vérité de l'égl. de S. Omer, p. 222 et 234. — (e) T. I, p. 528. — (f) Lib. 1, part. III, cap.

30, cœnobium illud, seu, si præplacet, S. Georgii oratorium, SS. Apostolorum monasterio dein inclusum, sæculo Christi septimo extra Noviomensis urbis mœnia re vera situm fuisse; tametsi nunc, imo jam pridem, ampliata urbis pomerio, oppidi ambitu inclusum sit, adeo ut locus, quem olim porta Castrî seu Castellî, aut aquaria occupabat, nunc sit vicinus illi, ubi modo sunt putei in frumentario urbis foro. Cui explicationi absque hæsitacione suffragandum est, quandoquidem in Vita S. Godebertæ Virginis (g), circa annum 700 defunctæ, hæc leguntur: Convenientes itaque (S. Godeberta ejusque sociæ) in suburbium urbis Noviomicæ in oratorium scilicet (S. Georgii) quod a rege susceperant, die noctuque Deo deservire infatigabiliter elaborabant. Non ergo sibi contrarii sunt biographi, dum uno loco aiunt: Mummolinum extra Noviomensis urbis mœnia ante portam castrî (vel aquariam) sepeliri voluisse; alio autem loco, eum conditum esse juxta monasterium in honorem duodecim Apostolorum fundatum.

56 Ad alteram quæstionem non ita facile respondere est, quoniam nullum monumentum omnino cœterum existat, atque idcirco adversus asserenda loca objici potest: scriptores testari quod suis oculis viderent, non quod sæculo ante factum esset. Verumtamen cum testimonium non quidem cœterum, sed suppar melius sit, quam nullum testimonium, neque hujus generis monumentum absque probata ratione possit rejici, affirmare non hæsitato S. Mummolinum non in communi cœmeterio, sed in ecclesia S. Georgii, seu duodecim Apostolorum continuo post mortem fuisse sepultum, non autem illuc postea translatum. Antiquiores quippe Vitæ expresse id habent, eisque suffragatur laudatæ S. Godebertæ Vita, quæ sæculo x æstimatur conscripta fuisse. In hac enim occurrunt sequentia verba (h): Sepulta est itaque egregia Dei famula (S. Godeberta) tertio Idus Aprilis, in oratorio B. Georgii, in ecclesia quæ modo dicitur SS. Apostolorum, ubi et corpus S. Mummolini ejusdem civitatis episcopi honorifice sepeliuntur.

57 Locus vero, ubi depositus fuit S. Mummolinus, sacellum forte est, quod ante turbas gallicas S. Godebertæ nomen in hac ecclesia habebat. Quod si Papebrochii verbis, eruditiss Ludovici Montiniacensis annotationibus ad Vitam S. Godebertæ utentis, fidere licet, erat hoc sacellum vel crypta, vel saltem cryptæ species; tradit enim sacrarium illud ad dextram partem chori, infra sacellum Sanctæ Crucis fuisse. Cum vero docet ibidem adhuc superesse veteris tumbæ partem magnam, in sculptas habentem duorum episcoporum imagines, et inter eas tertiam unam mediam in habitu sanctimonialis, similemque repræsentationem videri in ecclesiæ propylæo ex parte cœmeterii, unusquisque facile suspicabitur alterutram S. Mummolini esse; verumtamen non ita luculenta hæc res est cum duo alii sancti episcopi præter Mummolinum, sepulturam illic nacti dicantur. Papebrochius enim in citato de S. Godeberta Commentario (i) tradit non tantum in S. Godebertæ seu duodecim Apostolorum templo notabiles particulas ex corpore S. Euvicii ostendi et coli, verum etiam olim inde elevatum fuisse sacrum ejus corpus: quæ verisimiliter hausta fuerunt ex Montiniacensis annotatis. Et quidem, licet Stiltinus, qui ad x Septembris S. Euvicii gesta illustravit, omnino tacuerit de primitiva S. Euvicii sepultura, quamquam multus fuit in ejus recensendis translationibus (k); omnino admittendum videtur, illic

D

non autem sepellitur in communi cœmeterio.

E

In S. Godebertæ templo cum aliis Sanctis

F

lxv. Edit. Gallie. — (g) Act. SS., t. II April. p. 33, num. 5. — (h) Ibid., p. 34, num. 12. — (i) Act. SS., t. II April. p. 32. — (k) Act. SS., t. III Septemb., p. 617.

S.

A S. Eunucii corpus terræ mandatum fuisse, propter elevationis festum, de quo inferius continuo dicitur. Cousin vero, Tornacensis historiographus (a), ex cap. xv operis Democharis de Sacrificio Missæ, ex tomo I Cosmographiæ Belforestii, et ex Officiis ecclesiasticis sæculo xvii et xviii Noviomensis et Tornacensis Ecclesiarum, perhibet S. Acharium, decessorem S. Eligii, in S. Georgii oratorio terra conditum fuisse. Verum, cum S. Eunucius recentior sit S. Godeberta, et lapis ille indicare videatur hanc sanctam Christi ancillam inter duos episcopos sepulcro impositam fuisse, verisimilius est alterum sanctum nostrum Mummolinum esse, alterum sanctum Acharium.

levatur e terra, et postea transfertur ad templum cathedrale Noviomense.

58 Neque minus obscurum est temporis spatium, quod S. Mummolinus illic jacuit, priusquam ex terra elevaretur et dein ad cathedrale Noviomense templum transferretur. Habemus quidem tamquam summe verisimile, uno tempore SS. Mummolini, Godebertæ et Eunucii corpora elevata fuisse; quoniam una festivitate triplex hæc elevatio olim celebrabatur, ut liquet ex his Papebrochii verbis (b): Eadem ecclesia (SS. Apostolorum) hodie inter sacras Reliquias possidet et ostendit notabiles particulas ex corporibus SS. Eunucii et Godebertæ, quorum et S. Mummolini, in eadem quoque ecclesia sepulti, ELEVATIO in Martyrologio ecclesiæ cathedralis notatur ad xxvii Aprilis; verum minime constat, quo tempore hæc elevatio facta fuerit. Cum tamen S. Eunucius circa medium sæculum viii obiisse feratur (c), serius hoc tempore eam contigisse statuendum est. Ast, si una celebritate hæc trium Sanctorum corpora elevata videantur, certum est non uno anno eadem fuisse translata. S. Eunucii enim sacræ exuvie circa medium sæculum decimum a Radulpho seu Hadulpho, Noviomensi episcopo, translata fuerunt in templum S. Lupi, dein S. Eligii, ut permulti testantur apud laudatum Stillingum (d); quin ex ecclesia SS. Apostolorum motum fuerit corpus S. Godebertæ, ut planum intelligere est ex bulla Joannis Papæ XV, quam post Vassorium in Annalibus Noviomensibus (e) edidit Colliette in Commentariis de pago Veromanduensi (f); atque aliunde, ex inedito scilicet Catalogo episcoporum Tornacensium et Noviomensium, nobis innotescit (quod Noviomenses latuisse, cum Papebrochius suum de S. Godeberta scriberet Commentarium, ex litteris Nicolai de la Haye Noviomensis decani cognovimus) a Balduino episcopo Noviomensi translatum fuisse corpus S. Godebertæ ab oratorio S. Georgii (seu SS. Apostolorum) ad basilicam Virginis Mariæ Noviomensis anno 1167 die xxvii mensis Aprilis; quæ dies anniversaria erat elevationis SS. Mummolini, Eunucii et ejusdem S. Godebertæ. Atque ex his satis liquere arbitror, non eodem tempore triplicem illum thesaurum translatum fuisse. Verumtamen quod pertinet ad S. Mummolinum, crederem jam pridem ante sæculum xvi corpus ejus ad ecclesiam cathedralem delatum fuisse: tum quod ecclesia SS. Apostolorum, utpote extra mœnia posita bellatorum direptionibus obnoxia erat (g); quod tum credibile non est tam diu cathedralis ecclesiæ canonicos passos esse hæc sacra pignora a præcipuo suo templo abesse, cum per eos staret hæc illuc transferre. Simili argumento utitur Papebrochius, ubi de translatione S. Godebertæ agit.

59 Sed stylum referamus ad Ghesquierum, qui num. 32 sic prosequitur: « Non ita liquet quid sibi

« velit Mummolini biographus, dum de præfato monasterio loquens, hæc verba subjicit: Quod jam dudum ad honorem duodecim Apostolorum a sanctissimis viris FUNDATUR. An forte postremo hocce verbo indicare voluit, monasterium illud, eo tempore, quo scribebat, inchoatum quidem jam dudum, sed necdum peractum fuisse? Suspicio id quidem, at affirmare non ausim, cum nusquam expressum invenerim tempus, sed neque sanctissimorum virorum nomina, a quibus S. Georgii oratorium, mutato priore nomine, erectum fuit in monasterium, Sanctorum Apostolorum dictum. Id unum mihi liquet, cenobium illud ante exitum sæculi decimi appellatum fuisse abbatiam S. Godebertæ Virginis, ut patet apud Vassorium in Annalibus Ecclesiæ Noviomensis (h), ex diplomate Joannis Papæ XV, Liudulphi, seu Liudulphi, Noviomensi episcopo, anno 988 concesso, quo simul asseritur monasterium illud constructum fuisse in honore beatorum Apostolorum Petri et Pauli, nulla caterorum Apostolorum facta mentione. Constat etiam ex epistola Guidonis, Noviomensis thesaurarii, sub annum 1050 scripta, quam videsis tom. X Galliæ Christianæ auctæ, inter instrumenta (i), jam tum « (imo tempore episcoporum Walberti et Transmari, id est ante annum 950, ut liquet ex ipsa Guidonis scriptione) « virgines, quæ in eo debebant monasterio, sanctimoniales Sanctæ Godebertæ dictas, ipsum vero monasterium, abbatiam S. Godebertæ (loquitur Guido de temporibus Liudulphi, ante annum 988). Cum autem postremum hoc nomen ei deinceps ad hæserit, oportet, ut certe ante annum 988 monasterium illud, seu saltem monasterii basilica, uti Sancti nostri biographus loquitur, Sancti Mummolini sumpserit vocabula, ac diu quidem ante, et forte currente ipsomet sæculo octavo. « Liceat mihi parumper hic sistere egregium Ghesquierum: non enim ei assentio, cum hæc biographi recentioris dicta: ad eujus (Dei) laudem in præsentiarum constructa basilica usque in hodiernum diem, Sancti Mummolini sumpsit vocabula, interpretatur ac si de ecclesia duodecim Apostolorum ageretur. Etenim nusquam vocatur hæc ecclesia nomine S. Mummolini; præterea concessisset sane Ghesquierus de hac ecclesia hic non agi, si S. Mummolini nomen non obtinuit, priusquam SS. Apostolorum nomine, quod sæculo decimo adhuc gerebat, insigniretur; atqui recentior biographus, (in supposito quod hæc ecclesia ab eo indicaretur,) affirmasset eam usque in hodiernum (quo scribebat) diem Sancti Mummolini sumpsisse vocabula, et biographus vetustior eandem ecclesiam jam nomine SS. Apostolorum appellasset.

60 Porro cum hæc non consonent, neque in pristina diœcesi Noviomensi (de Tornacensi, ubi cultus recentior videtur, mentionem non facio) ullum, quod sciam, unquam exstiterit templum, (sane superiori sæculo nullum exstitisse liquet ex indice beneficiorum (k), edito a Colliette), libenter crederem basilicam, quæ S. MUMMOLINI sumebat vocabula, Templum Veteris monasterii fuisse, ubi diu comoratum vidimus S. Mummolinum. Cletyus quidem, non indoctus Sam-Bertinianæ bibliothecæ præfectus, scripsit ad Stillingum nostrum (l): Illud Vetus monasterium cum suis officinis per bella Gallorum et Anglorum combustum fuit anno MCDXCVII. Felicioribus temporibus eodem in loco erecta fuit parochia sub nomine S. Mummo-

D Templum S. Mummolini, de quo recentiores biographi, non videtur esse idem ac templum S. Godebertæ,

E

F

sed idem potius ac templum Veteris monasterii.

(a) Hist. de Tournay, liv. II, p. 39. — (b) T. II April., p. 32. (c) Cfr. Act. SS., t. III Sept., p. 617 et Gall. Christ., t. IX, col. 986. — (d) Act. SS., t. III Sept., 617, num. 3. — (e) P. 734. — (f) Mémoir. pour serv. à l'hist. du Vermandois,

t. I, p. 577. — (g) Cfr. Colliette. Mémoir. pour serv. à l'hist. du Vermand., t. III, p. 344. — (h) P. 734. — (i) Col. 365. — (k) Mémoir. pour serv. à l'hist. du Vermand., t. III, ad calcem. — (l) Act. SS., t. II Septemb., p. 561.

A lini, in spiritualibus et temporalibus omnino dependens ab abbacia S. Bertini; *verum inde non evincitur Veteris monasterii templum S. Mummolini vocabulo insignitum non fuisse ante suam destructionem; atque adeo, cum feliciora hæc tempora, quæ laudat Cletyus, recentiora videantur (nam exeunte sæculo xv, tanta apud Sam-Bertinianos orta erat rei pecuniariæ penuria, ut, nedum de ædificando templo cogitandum esset, successor Johannis IX in tantum monasterium bonis evacuatam invenerit, ut pro confirmatione suæ electionis prosequenda Reliquiarum capsæ, vasa servitio divina deputata, imagines Beatæ Mariæ, Audomari atque Bertini argenteæ, auroque munitæ, atque ecclesiæ calices, præcipue calix aureus, diversis gemmis ornatus, venundati sint; licet antea abbas Johannes IX lumen ecclesiæ religiosorumque præbendas ad medium diminuisset, aliaque hujusmodi egisset parcissime; de quibus legenda est Continuatio Sam-Bertiniani Chronici (a) cum, inquam, faustiora hæc tempora non ita continuo post hanc cladem secuta sint, devenimus ad tardiorum ætatem, quam ut inveniuntur sæculo xvii Veteris monasterii templum S. Mummolini per magnam Gallia partem cognosceretur, et e longinquo ad id fierent pæ peregrinationes, quales, ut ad calcem hujus Commentarii videbitur, describit Malbrancquius; nisi jam ante memoratam destructionem S. Mummolini cultus ibidem vigeret.*

Miracula et translatio partis capituli ad Sithivense monasterium,

61 Ad Ghesquierum num. 33 sic disserentem revertor: " Quod autem ad miracula spectat, quæ biographus asserit S. Mummolini patrocinio patratæ fuisse, horum ego nusquam narrationem specialem, sed neque documenta authentica invenire quivi; propterea tamen affirmanti biographo fidem non abnuo, quandoquidem illa, ut alia multa instrumenta vetera, iniquitate temporum dein intercidisse potuerunt. Idem dictum puta de insigni miraculo a S. Mummolino patratæ, revocati nimirum defuncti hominis ad vitam, quod se Cousin in antiquis Mss. legisse asserit tomo II Historiæ Tornacensis (b). " Ex plurimis autem, qui mihi præsto sunt episcoporum Tornacensium catalogi duo hæc habent: Cui (S. Eligio) successit B. Mommolenus, qui virum mortuum suscitavit, et plurima alia miracula Dominus per eum operatus est. Eadem fere reperire est in Chronico Tornacensi, quod Baro ab Reiffenberg carminibus Philippi Mouskes, a se editis, subjecit (c), et in opere Malbrancquii de Morinis (d). Sic vero pergit Ghesquierus: " Frustra quoque inquisivi in acta translationis S. Mummolini (confer num. 58); cujus corpus nunc asservatur in cathedrali Noviomensi, ut tradunt scriptores tomi IX Gallia Christianæ auctæ (e), pars autem capituli in Sithivensi seu Bertiniana ecclesia. " Idem ante eos commemoravit Malbrancquius (f) paulo latius, hæc illustrans his verbis: Modo in cathedrali Noviomensium basilica ad aram principem eminent divite feretro, ad dextrum S. Eligii latus, lævum, Godebertha tenente. Audomaropoli Bertinenses ostentant ejus capituli partem aliasque particulas.

quam monumenta Noviomense

62 De advectione harum Reliquiarum ad Sancti Bertini plurima adjuncta servaverunt nobis historici. Vassorius imprimis in Annalibus Noviomensibus edidit conclusionem capitularem latinam, quæ donatio horum pignorum facta est; en ut eam anno 1841 nobis descripsit Reverendus admodum Dominus Delette, id temporis Vicarius Capitularis Belvacensis: Capitulo facto die Mercurii 15 Junii 1463, congregati Domini super expeditione particulae gloriosi capituli B. Mommoleni, jam diu

promissæ Reverendo in Christo Patri Domino Gullelmo, Dei gratia Tornacensi episcopo, et abbati monasterii Sancti Bertini in Sancto Audomaro, ac recondendæ in ipso monasterio cum corpore seu Reliquiis B. Bertini, ut quemadmodum in vita comites exstiterunt, ita et habeant simul corporum Reliquias; pro quibus Reliquiis reverenter, ut decet, recipiendis, a dicto reverendo Patre destinati sunt religiosi ac providi viri Domini: Andreas de Crehen, Joannes de Pratis, monachi præacti monasterii, ac Nicolaus Erembaud, laicus baillivus ejusdem monasterii; advisaverunt Domini prænominati procedere in hunc modum, videlicet quod missa de Requiem finita, cum omni reverentia deferatur ad majus altare præfatum caput Beati Mommoleni, et inde accipiatur reverenter illa particula quam ipsis religiosi decreverunt Domini communicare; quod et factum est. Choro siquidem congregato et cantante, allatum præfatum caput ad majus altare, a quo extractæ fuerunt una magna particula, cum quatuor aliis, una majori et aliis minutis, in eodem monasterio amodo venerandis, quod facere promiserunt dicti religiosi et baillivus, petentes super hoc sibi fieri et tradi litteras capituli, quæ concessæ sunt. Huc usque Noviomense instrumentum.

D

E

63 His consona habet Continuatio Chronici Iperii, seu Sam-Bertiniani, ubi sequentia reperio: Willelmus cognomento Filatrius abbas LXIV. . . . tabulam majoris altaris argenteam ac deauratam renovavit, omnesque gemmas per eam stratas de proprio dedit; novam capsam Beati Bertini lapidibus pretiosis ornatam, thecamque argenteam partem capituli S. Mommolini continentem, hic de Novio ad ejus petitionem translatam, cum gemmis quas dedit ornavit. Pannum unum album gemmis munitum (repa seu reba ejusmodi panni, Sanctorum Reliquias tegentes, olim dicebantur) super ejus (Mummolini) altare suspendendum donavit. Abbas vero ille Willelmus, qui Virdunensem, Tullensem et Tornacensem episcopales cathedras successive occupavit, et ab anno 1459 ad 1473 S. Bertini abbatiam obtinuit, non alias tamen quam postulatoris partes hic egit, ut liquet ex additione, quam in codice Sam-Bertiniano Continuatio Chronici ad hunc locum appositam unus e decessoribus nostris reperit et eacripit; ita sonat: Hanc partem capituli D. Mummolini D. Andreas de Crehen prior Veteris monasterii, xxii Junii Dominica die anni 1463, huc per duos canonicos ecclesiæ cathedralis Noviomensis delatam excepit solemniter. Altare vero illud, de quo in Continuatio Sam-Bertiniani Chronici mentio fit, non videtur exstisse usque ad Gallicanæ reipublicæ perturbationes; siquidem in superius laudata descriptione abbatiæ Sancti Bertini (g), in qua omnia recensentur altaria, altare S. Mummolini non prodit. Reliquiæ vero Sancti nostri, quæ nihil passæ fuerunt tempore bellorum Gallos inter et Alemannos, plurimum detrimenti monasterio Sancti Bertini afferentium (multis in his est Continuator Chronici), inter superioris sæculi turbas amissæ videntur. Quæ concludi posse autumo ex his, quibus descripsit abbatæ Sancti Bertini librum suam claudunt verbis: Hæc capsula reliquiaria (intelligit ermam S. Bertini, cujus cupro insculptam imaginem edidit Stiltungus (h) in Commentario de S. Bertino) anno 1793 fracta fuit, ut ad monetæ officinam mitteretur, cum reliqua argentea suppellectile, quæ in abbatiæ thesauro servabatur: atqui non est cur

et Sam-Bertiniana certam faciunt.

F

(a) D. Martenne Ampliss. Collect., t. VI col. 630 et seq. — (b) P. 123. — (c) T. I, p. 535. — (d) Ibid., 502 — (e) Col. 983.

— (f) De Morinis, t. I, p. 502. — (g) Descript. de l'abbaye de St. Bertin, p. 23 et seq. — (h) Act. SS., t. II Sept., p. 585.

ab

A ab hac sorte eximamus S. Mummolini Reliquiarum pyxidem. Hæc de Reliquiis in Sancti Bertini olim servatis : superest ut Noviomensium, cæterarum fontis, recentiora fata explicemus. Nam quod nihil dicamus de iis, quæ olim in abbatia S. Eligii servatæ dicuntur ab editoribus Lovaniensibus Vitarum Sanctorum Butleri, ratio est, quod nihil uspiam a nobis de iis repertum fuit; atque adeo suspicio nobis est, abbatiam S. Bertini erronee S. Eligii appellatam fuisse : quandoquidem hagiographi illi nihil statuunt de lipsanis, ad S. Bertini asservatis, quorum reliqui biographi meminerunt; dum de aliis, quæ ignorantur ab omnibus, sermones faciunt.

§ VI. Quæ fata Reliquiæ S. Mummolini expertæ sint Noviomini annis 1793 et 1795; invocatio ejus publica et privata.

Instrumentum recognitionis Reliquiarum Noviomensium,  
B

Reliquiæ S. Mummolini, quæ Noviomini multa olim reverentia servabantur, temporibus turbatæ reipublicæ gallicanæ profanas quidem expertæ fuerunt manus, non tamen, qualiter Sam-Bertiniana perierunt. Quæ constant ex instrumento authentico, quod mediante laudato Reverendo admodum Domino Delettre, transmisit ad nos R. D. Thieble, parochus Noviomensis, affirmans submissum ecgraphum conforme esse exemplari in archivio Noviomensi asservato, testificansque hoc exemplar unicum monumentum esse, quod penes Noviomenses sit de suarum Reliquiarum conservatione. In eo non tantum mentio fit de S. Mummolini lipsanis; verum de exuviis quoque S. Godebertæ honoratæ die XI Aprilis, S. Medardi die VIII Junii celebrati, S. Acharii die XXVII Novembris culti, S. Eligii, quem venerantur die 1 Decembris, et S. Albini, quem eundem arbitror ac S. Albinum Andegavensem episcopum, de quo egerunt jam pridem decessores nostri (a); quandoquidem hunc solum Albinum ad diem 1 Martii a Noviomensibus cultum reperio in Breviario anni 1630. Integrum tamen in instrumentum, gallice conscriptum, qualitercumque latinum faciendum visum est; tunc quoniam SS. Eligius, Medardus alique in Ecclesia Dei illustrissimi cælestes sunt, eorumque adeo lipsanon sortem novissæ magni refert, tum quoniam eo instrumento planum fit, quomodo id temporis res a schismaticis gerebantur. Quod vero pertinet ad versionem latinam, ante omnia curandum visum est, ut ad verbum fere gallica scriptio latina ferret; unde difficile stylum excusare vellet lector. Præterea cum Commentarius ille nonnihil aliquando obscurus esset propter immensas incidentes sententias, boni consultum est aliquot interponere parentheses, quæ in exemplari gallico desunt, atque adeo quædam repetere, quæ ne confunderentur cum genuino textu, alio caractere hic excusa fuerunt.

anno 1795 factæ.

65 En demum illud instrumentum : Anno millesimo septingentesimo nonagesimo quinto, die vigesima tertia Augusti, hora undecima matutina, nos Carolus Ludovicus Franciscus Frémont, presbyter, et Josephus Gaspard Catrières, similiter presbyter, invitati a quatuor ecclesiasticis viris presbyteris, scilicet : Petro Armando Richousftz, Carolo Franciscio Lejeune, Ludovico Carolo Franciscio Dautreaux et Antonio Despréaux, officia ministerii pastoralis obeuntibus in ecclesia Noviomensi; (invitati quoque) a commissariis, quibus incumbit administratio tempo-

ralis dictæ ecclesiæ quoad ædis cultum et sarta tecta procuranda, scilicet : Carolo Franciscio Dionysio de Mory, Jacobo Mauritio Antonio Reneuve (?), Petro Eligio Pluche, Mauritio Dionysio Ludovico Aniano Cerdougnon, Stephano Liegoux, Claudio Josepho Lessertisseur, Joanne Franciscio Trousselle, Franciscio Ramboux, Joanne Baptista Vatin, Franciscio Le Mesnil, Joanne Baptista Mozet, Carolo Dominico Sezille d'Armancourt, Franciscio Du Jourdan, Joanne Baptista Guilbert, Ludovico Cremery, Ludovico Jacobo Franciscio Le Moutier, Josepho Dionysio Florente Beaudoux, Joanne Beaudoux, Ludovico Pluche, et Carolo Franciscio Josepho Sauvel, et (obsecundantes) votis fidelium catholicorum civitatis et accessionum Noviomini, tetendimus ad majorem sacristiam supradictæ ecclesiæ; quo cum venissemus circa horam undecimam matutinam dictæ diei, collocuti sumus cum prædictis nominatis presbyteris et commissariis, (subscribentibus præsentii instrumento, scripto et composito a Carolo Franciscio Josepho Sauvel, uno e dictis commissariis, a nobis designato et electo ad harum litterarum confectionem, in præsentia reliqui cleri dictæ ecclesiæ et multitudinis civium dictæ civitatis et suburbiorum, qui nobiscum quoque subscripserunt), de præsentii statu Reliquiarum Sanctorum patronorum hujus ecclesiæ et aliorum Sanctorum, qui semper in ea venerationem nacti sunt, et quarum semper depositum servavit.

66 Ad finem dicti colloquii nobis visum est, factum esse notitia publica certum, tempore spoliationis et ablationis capsarum ex auro, argento, aliis metallis et ligno confectarum, (in quibus conditæ erant Reliquiæ,) varia ossa et pretiosas Reliquias horum Sanctorum pleraque mansisse penes Eustachium Rohault sacristam dictæ ecclesiæ, qui ut eas direptioni et majori violationi subduceret, eas in ambitu dictæ ecclesiæ, in cœmeterium ordinato et circumdato claustris, humaverat, appositis signis characteristicis, quæ indices posteritati essent. Quamobrem, consilio presbyterorum et commissariorum subscribentium accepto, postulavimus ut dictus Rohault sacrista coram nobis et subscribentibus compareret, interrogandus de factis et articulis : quem, ad nos ingressum, invitavimus ad respondendum secundum veritatem omnibus rogatis atque quæsitis, a nobis faciendis; quoniam de majori Dei gloria et honore ejus Sanctorum agebatur.

67 Et cum affirmanter respondisset a se visos fuisse plures viros ingredientes in dictam ecclesiam circa primos dies mensis Novembris, anni millesimi septingentesimi nonagesimi tertii, (quin omnino certum posset determinare diem), aduntes thesaurum et alia loca in quibus depositæ erant dictæ capsæ, et quorum claves porrigere coactus fuerat; ab istis hominibus integras extractas fuisse has pretiosas Reliquias e locis in quibus hucusque servatæ fuerant, ab eis capsas apertas fuisse, revulsasque, et aurum, argentum aliaque metalla, quibus claudebantur hæc pretiosæ exuvia, ablata fuisse; et quod pertinet ad has sacras exuviis, ossa et Reliquias, hæc ab eis separatim relicta fuisse secundum spoliationis ordinem; se animadvertisse per et sub ablationem dictarum capsarum modicas aliquot ossium particulas a quibusdam sublata fuisse; homines, qui in mandatis habebant spoliationem, tulisse et ferenda curasse in locum, quo pagi (district) consilium coibat, aurum, argentum et alia me-

D

E

Sacrista Noviomensis testatur,

F

a se visam spoliationem, anno 1795 factam;

(a) Act. SS., t. I Martii, p. 54.



A talla ex dictis capsis et reliquiariis thecis provenientia;

*Reliquias SS. Eligii, Medardi, Godebertae, Acharii, Mummolini, Albini, etc., a se humatas fuisse;*

68 Se vero percussum, quod in tali statu videret praedictas Reliquias, et quid ad omnem direptionem et violationem impediendam faceret inscium, videntem praeterea praedictam ecclesiam sapientibus et illustratis (*dclairés*) presbyteris, qui se dirigere possent, orbam, statuisse sequi consilium sibi indicatum et suggestum a cive Prus, id temporis civitatis consule (*maire*); quod ejusmodi erat, ut humaret praedictas Reliquias, et super Reliquiis S. Eligii, S. Medardi, et S. Godebertae lapides sepulcrales collocaret; (quod dicto sacratae mentem indidit super aliis Reliquiis similiter qualiacumque signa ponendi;) quamobrem a dicto Rohault sacrista translata fuisse in praedictum ecclesiae ambitum omnia ossa et Reliquias pretiosas S. Eligii, S. Medardi, S. Acharii, S. MUMMOLINI, S. Godebertae, qui cuncti patroni dictae ecclesiae, S. Albini et alius sancti episcopi et martyris cujus nomen nobis prodere non potuit; 1° in dicto ecclesiae ambitu a se foveam factam fuisse e regione tertii arcus extremorum claustrorum, cum quis a sacriariis S. Andreae et S. Catharinae pergat ad locum capitularem; a se in dicta fovea collocatas fuisse, minime confusas, Reliquias S. Eligii, S. Medardi et S. Godebertae, et a se coopertam fuisse dictam foveam prius lapide sepulcrali, ovato, e marmore nigro, dein gleba dicto lapidi injecta; non procul a dicta fovea basim versus columnae (*en tirant vers le pied*, autumo abesse: *du pilier*), a se erutam fuisse alteram foveam, in qua locavit S. MUMMOLINI Reliquias, eamque continuo a se tectam fuisse immediate impositis lapidibus, tamquam signis, et deinde gleba; in spatio autem, quod a columna (quartum et quintum arcus dictorum claustrorum distinguente) porrigitur, e regione dictorum sacriariorum S. Andreae et S. Catharinae, tres exiguas a se factas fuisse foveas; in quarum prima ecclesiam versus S. Albini Reliquias collocavit; in media post illam condidit Reliquias sancti episcopi et martyris, cujus nomen, ut supra, nobis indicare non potuit; et in tertia demum, eandem amussim sequens, posuit Reliquias S. Acharii; postremum vero, lapides a se appositos fuisse dictis ternis Reliquiis, et terram superadditam fuisse.

B

C

*a se monitos paulo post duos presbyteros, eisque indicatum locum;*

69 2° Rogatus deinde dictus Rohault, quempiamne post hanc operationem et inhumationem monuisset, respondit se aliquanto tempore post (quin certum diem assignare posset), veritum ne moreretur, priusquam hae sacrae Reliquiae loco honorifico collocari possent, efflagitasse a . . . Hallu et Francisco Montjoye ambobus presbyteris, ut pergerent ad dictum ecclesiae ambitum, visuri et recognitari varia loca inhumationis et apposita signa. 3° Rogatus an dicti Hallu et Montjoye reapse recognovissent dicta inhumationes et signa, affirmanter respondit: Recognoverunt.

*a se visas minores pyxides ablatas ante dictam spoliationem;*

70 4° Rogatus, vidissetne auferri alias minores thecas et reliquiarias capsas, quarum pars semper fuerat penes dictam ecclesiam, et quarum aliae ad ecclesias suppressas pertinentes huc allatae fuerant, respondit ante ablationem lipsantheocarum S. Eligii, S. Medardi, S. Godebertae, S. MUMMOLINI, S. Acharii, S. Albini et sancti episcopi et martyris, cujus nomen se lateat, se vidisse abripi et auferri plures ex his minoribus capsis et lipsantheocis, seque ignorare quid factum fuisset de modicis ossium particulis, quas capiebant.

71 5° Rogatus, vidissetne instrumenta authenticae addita dictis Reliquiis, respondit se vidisse

duas membranas, sigillis munitas, se eis potitum esse, easque ambas tradidisse Carolo Francisco Lejeune, uni e quatuor praenominatis presbyteris; qui hic praesens confestim exhibuit haec duo instrumenta, spectantia ad Reliquias S. Medardi, prius incipiens his verbis: *Jacobus de Rucheze*, et desinens his aliis: *ad id vocatis*, datum i Julii 1650 et munitum sigillis episcopi Cabillonensis ejusque capituli; alterum spectans ad easdem Reliquias, incipiens his verbis: *Nous, Doyen, Chanoines*, et desinens his aliis: *les jour et an que dessus*, datum i Julii 1650, munitum sigillo capituli S. Stephani Divionensis.

72 6° Rogatus an advertisset pannos, quibus involverentur praedictae Reliquiae, respondit singulis Reliquiis suam fuisse involverum e serico rubro (in quantum meminit) contextum e pleraque haec involuera a se posita fuisse cum dictis Reliquiis in foveis. 7° Rogatus num quid praeterea monere vel docere posset, respondit se nihil praeterea novisse. Lectione facta horum quaestorum responsorumque, declaravit dictus Rohault se in suis dictis persistere, et in his scriptis veritatem contineri, praesentique instrumento nobiscum subscripsit. — *Sign.*: Rohault. — Et cum praedicti Hallu et Montjoye notitiam habeant utilem et proficuum praesenti operationi, extemplo eos invitandos curavimus, ut eam nobiscum communicarent: quocirca affirmaverunt se non ita pridem vidisse dicta inhumationes et signa, qualia supra relata sunt, quandoquidem uterque praedicto tempore perrexerunt ad dictum ecclesiae ambitum cum dicto Rohault. — *Sign.*: Montjoye. — *Deest in egrapho nostro signum Hallu.*

73 Muniti his omnibus notitiis, monitis, et instructionibus, omnibus bene perpensis, et sancto Dei nomine invocato, invitavimus quatuor presbyteros, commissarios supra memoratos, dictum Rohault, dictos Hallu et Montjoye, Jacobum Mariam Ludovicum Dufour, medicum, Joannem Dominicum Damianum Boulongne, chirurgum, reliquum clerum dictae ecclesiae et multitudinem civium, ut nos comitarentur ad dictum ecclesiae ambitum, sive ut viri necessarij recognitioni et exhumationibus supradictarum Reliquiarum, sive ut testes dictarum exhumationum et translationum. Omnes per portam claustrorum, qua itur ad sacria S. Andreae et S. Catharinae, ingressi, tetendimus sic stipati, et vestibus ecclesiasticis induti, usque ad plagam, quae est e regione tertii arcus extremorum claustrorum, de quo in praesenti instrumento dictum, et quidem ad marginem foveae, cui dictus Rohault iterum declaravit se infodisse absque confusione Reliquias S. Eligii, S. Medardi et S. Godebertae; et dicti Hallu et Montjoye recognoverunt hunc esse locum et signa distinctiva quae jam viderant; et continuo mandavimus terram eruendam esse donec appareret lapis sepulcralis et deinde ossa; quocirca terra unum pedem effossa, nobis apparuit lapis sepulcralis e marmore caeruleo (*bleu*) et nigro, duos pedes longus et decem uncias latus, quem continuo tollendum mandavimus; quod cum factum esset, nobis apparuit pannus e serico rubro, in duos saccos divisus.

74 Cum autem dictus Rohault praesens nobis dixisset saccum purpureum coloris obscurioris, et dicto arcui propius adjacentem, capere ossa et Reliquias S. Eligii, extemplo ipsi levavimus in praesentia totius concionis dictum saccum, quem fere integrum invenimus. Quem cum aperuissemus, et vocavissemus Dufour, medicum, et Boulongne chirurgum praenominatos, hi nobis indi-

D instrumenta authenticae Reliquiarum S. Medardi a se visa et servata;

et item Reliquiarum involuera; indicati duo presbyteri testantur sibi locum monstratum fuisse.

E

Itur ad inhumationis locum;

F

effodiuntur et recensentur Reliquiae S. Eligii,

caverunt

A caverunt ossium, quæ sat magno numero ibidem invenimus, sequentia nomina, scilicet: duas tibia, duo femora, humerum, duo minora ossa, (quæ cum eorum summa pars deesset, nominari nequiverunt), peronen, duo ossa innominata, vel ossa illicum, os sacrum, et tres vertebra, lumbar, duos calcaneos, astragalum, duplex os cuboides, unum scaphoides, et unum cuneiforme, rotulam, halangem digiti, partem costæ, maxillam inferiorem et plures particulas ossium, quæ nominari nequiverunt; quæ omnia ossa cum dicto involucro continuo imposuimus linteo in qualo ovato, credito pro tempore dictæ operationis quatuor presbyteris in præsentī instrumento jam nominatis.

S. Medardi, 75 Deinde humo sustulimus alium saccum coloris minus obscuri, in quo dictus Rohault nobis illico declaravit se deposuisse et clausisse Reliquias S. Medardi et S. Godebertæ. Hos dictos saccos et involucra, integræ fere a nobis reperta, cum aperuissemus, dicti Dufour et Boulongne varia ossa, in eis sat magno numero reperta, suo nomine insigniverunt, scilicet: femur sinistrum, quod dictus Rohault nobis declaravit et recognovit extractum fuisse ex capsâ reliquiaria S. Medardi, et a se ipso ut tale depositum esse in dicto sacco, in quo femore, utpote uno ex ossibus S. Medardi, ipsi statim vittam e charta alba apposuimus cum inscriptione: *os femur S. Medardi*, et sine mora traditum est dictis presbyteris.

S. Godebertæ, 76 Cum dictus Rohault iterum nobis dixisset et affirmasset reliqua ossa, dicto sacco inclusa, desumpta esse ex capsâ et lipsanotheca nuncupata: *herma S. Godebertæ* (gallice *chef de sainte Godeberte*), dicti Dufour et Boulongne ea suis nominibus appellarunt, videlicet: totam partem superiorem cranii, duas tibia, duas partes humeri, femur dextrum fere integrum, femur sinistrum in duas partes divisum, tres vertebra dorsi, et plures partes dictarum vertebrarum, septem ossicula tum partium superiorum, tum partium inferiorum, duos calcaneos, duos astragalos, duplex os scaphoides, duplex cuboides, quinque cuneiformia. Tunc advenit Josephus Felix Apoix, medicus, quem rogavimus se jungere vellet dictis Dufour et Boulongne. Ossium descriptionem continuantes, dicti medici et chirurgus nobis indicaverunt ossa sequentia, nempe: tria ossa metatarsi, partem primæ costæ, et plura ossicula. Cum invenissemus in dicto sacco sigillum integrum et quinque fragmina sigillorum, ea cum omnibus prædictis Reliquiis S. Godebertæ imposuimus linteo in qualo ovato, quem credidimus dictis presbyteris servandum.

S. Mummolini, 77 Deinde aperiendam mandavimus foveam, in qua dictus Rohault affirmare pergit a se collocatas fuisse S. MUMMOLINI Reliquias. Terra octo uncias effossa et lapidibus sublatis, nobis apparuit sat magna multitudo ossium cum modicis partibus panni et serico rubro; quocirca dicti medici et chirurgus continuo sic nobis indicaverunt hæc ossa, videlicet: duo femora, duas tibia, duas partes perones, partem ossis cubiti (vel radii: *avant-bras*) duas partes humeri, duas partes ossis illicum, maximam partem ossis sacri, primam costam, sex vertebra, partem maxillæ superioris, duos astragalos, duos calcaneos, duas partes rotulæ, et plura ossicula tum metatarsi tum metacarpi, duplex os scaphoides et plura alia ossicula; quas omnes prædictas Reliquias continuo imposuimus linteo in qualo quadrato, credito ut supra.

78 Inde perreximus ad tres prædictas minores foveas, memoratas in præsentī instrumento; mandavimus tres dictas foveas aperiendas, ut melius eas distinguere liceret; animadvertimus ad unum e tribus locis (designatis a dicto Rohault,) et dicti Rohault, Hallu et Montjoye nobiscum animadverterunt terram videri motam fuisse post tempus designatum in præsentī instrumento. Cum vero terram fodendam mandavissemus, tres vidimus ossium partitiones, sed minime secundum amussim ordinatas, secundum quam tamen a se locatas fuisse Reliquias S. Albin, S. Acharii et episcopi martyris, cujus nomen ut supra ei incognitum est. Cum autem terram paulo altius effodiendam curassemus, apparuit illic nobis magnus acervus ossium ad plurima corpora humana pertinentium. Cum itaque neque agnoscere potuerimus modum nobis indicatum, et quem verum esse nobis affirmare pergit dictus Rohault, neque distinguere dicta tria genera Reliquiarum, diversarum ab omnibus his ossibus, rogavimus ut omnia dicta illa ossa, qualiacumque forent, iterum in eodem loco humarentur, sed paulo altius quam antea; quod continuo in præsentia concionis factum est, et postulavimus a dicta concione, ut provideret modo ponendi signum characteristicum in loco dictæ inhumationis, siquidem prædictæ Reliquiæ illic fuerunt locatæ, quin queant hodie (*nescio quid interpositum illud; comme Dieu est sibi veliti*) distingui a cæteris ossibus: quod dicta concio se facturam esse pollicita est.

79 Omnibus exhumationibus, e terra elevationibus et recognitionibus Reliquiarum S. Eligii episcopi et patroni Noviomensis, S. Medardi item episcopi et patroni, S. Godebertæ virginis et patronæ Noviomensis et S. MUMMOLINI episcopi Noviomensis in prædicto ecclesiæ ambitu sic factis, quatuor prædictis presbyteris reverenter portantibus prædictas Reliquias in præsentia omnium assistentium regressi sumus prius ad majorem sacristiam, unde profecti eramus. Quo progressi et ingressi, et sciscitati, an quæcumque ad reliquias ceremonias et translationem faciendam et officium divinum ut in festo Reliquiarum persolvendum pertinenti aparata essent, responso affirmante accepto, e prædicta sacristia, supplicantium ordine, circa horam secundam pomeridianam egressi sumus, (dum cantarentur hymni adjunctis proprii, et sacræ Reliquiæ, ut supra, portarentur) pergentes ad sanctuarium dictæ ecclesiæ; quo pervenientes reperimus magnam mensam ornatam, cui statim impositæ fuerunt dictæ Reliquiæ juxta thecas eis capiendis paratas. Habita vero a nobismetipsis oratione præsentī ceremoniæ apta, benediximus capsas, hic inferius descriptas et a nobis decentes æstimatas; et cum Ecclesiâ nullas Reliquias fidelium venerationi exhibeat, quin eas prius ut authenticas recognoverit, atque perfectam de illis notitiam nacta fuerit, dictus Dautrevaux legit alta et intelligibili voce coram concione præsentia rei gestæ acta; qua lectione peracta manum admovimus ad transferendas prædictas Reliquias in capsas, singulis destinatas.

80 Primum postquam collocavissemus omnes Reliquias S. Eligii, quales indicatæ et descriptæ sunt in præsentī instrumento, cum dicto ipso instrumento in sacco serico collustrato, viridi, floribus aureis et argenteis consperso, cujus oras extemplo consuendas mandavimus, quatuor distinctis locis suturarum apponi jussimus e rubra cera sigillum hujus ecclesiæ, constans e mono-

grammate,

D  
Reliquiæ SS.  
Albin,  
Acharii et  
Anonymi,  
ut pote loco  
motæ et sus-  
pectæ, de-  
nuo humani-  
tur.

E

Priores Reliquiæ solemniter feruntur in chorum, et populo enuntiantur;

F

collocantur S. Eligii Reliquiæ in theca, quæ describitur;

A grammate, his litteris composito AVE M., eminente cruce et circumscriptione: ECCLESIA NOVIOMENSIS; deinde transtulimus et deposuimus dictas Reliquias sic involutas et sigillatas in capsula lignea, in qua jacebat pulvillus (*coussin de Dauphine*) floribus purpureis interpunctus, quam longa et lata est dicta capsula, quæ interius viginti sex uncias longa est, lata duodecim, et decem et dimidiam alta, sustentata octo globulis deauratis, basi sedecim et dimidiam uncias lata et triginta unam uncias longa; cujus basis ambitum ornat cymatium versum (*talon renversé*) et toreuma hemicyclicum (*quart de rond*) deauratum auro levigato; et cui basi innituntur octo columnæ tortiles, undecim et dimidiam uncias altæ, deauratæ auro levigato, et coronatæ trabecatione dorica, item auro levigato deaurata, nisi quod zophorus (*frise*) rubri venosique marmoris colorem imitatur. Porro hæc capsula in utraque collateraliter parte tria vitra infixæ habet, quorum duo (computata larga instita auro levigato deaurata) sex uncias lata, et novem uncias alta sunt; tertium, quod medium est, decem et dimidiam uncias latum et novem altum est; capsulæ vero extremitates clauduntur vitro, novem et dimidiam uncias lato, et decem et dimidiam alto: quæ omnia vitra quatuor lineis procurrant tum in partibus collateralibus tum in extremis; quatuor vero anguli trabecationis ornantur quatuor vasis ligneis tres uncias altis, et clauditur capsula gallico culmine, pro tempore croceis coloribus picto, septem uncias alto, et duabus testudinibus (*croupe*) instructo; quod culmen, utpote capsulæ apertura, clausum et clavis continuo obfirmatum fuit, et dicto sigillo quatuor in locis cera signatoria ob-signatum fuit. (*Quæ acta sunt*) ut dictæ Reliquiæ S. Eligii, translatae, clausæ et ob-signatæ, prout dictum est, in posterum, quemadmodum olim, exhibeantur venerationi fidelium in dicta ecclesia Noviomensi.

item Reliquiæ SS. Medardi, et Mummolini;

B 81 Deinde cum S. Medardi Reliquias, quales in præsentem instrumento descriptæ sunt, cum ipso instrumento collocavimus in sacco serico colostrato, viridi, floribus aureis et argenteis consperso, cujus oras extemplo consendas mandavimus, quatuor locis suturarum dicti sacci dictum sigillum cera ob-signatoria apponi jussimus, et dictas Reliquias cum Reliquiis Sancti MUMMOLINI pariter positas in sacco, ex simili panno, consuto et pariter ob-signato simili cera in quatuor locis (instrumentum clausum in sacco, capiente S. Medardi Reliquias, commune est Reliquiis S. Mummolini) inclusimus capsulæ lignæ, in qua sternebatur pulvillus (*coussin de Dauphine*) floribus purpureis interpunctus, quam longa et lata est dicta capsula, quæ duos pedes in longitudinem et undecim et dimidiam uncias in latitudinem patet, et colore cæruleo picta ornatus rubros auro non levigato deauratos habet, et quæ sustinetur globulis deauratis auro levigato; ad alteram suam extremitatem instructa est ostiolo sex uncias lato, et septem et dimidiam alto, et munita tribus vitris arcuatis, quorum duo septem et dimidiam uncias alta et quinque et dimidiam larga sunt, et tertium quod medium occupat septem et dimidiam uncias altum et decem largum est. Capsulæ vero culmen gallicum e duabus testudinibus septem uncias altis constat, et tota capsula colore rubro interius picta est. Duobus autem ostioli locis apponi jussimus cera signatoria dictum sigillum. (*Quæ acta sunt*), ut dictæ Reliquiæ Sancti Medardi et Sancti MUMMOLINI in posterum ut olim fidelium venerationi

exponantur in dicta ecclesia Noviomensi; et inseruimus dictæ capsulæ authentice litteras episcopi Cabillonensis et capituli Divionensis, jam relatas in præsentem instrumento.

82 Præterea postquam collocavimus cranium Sanctæ Godebertæ, quale superius descriptum et designatum est in pulvillo (*coussin de dauphine*) floribus purpureis interpuncto, in quo fixum et stabilitum est ope vittæ albæ floribus argenteis distinctæ, in cruce dispositæ, et cujus extremitates cera signatoria sigillatæ fuerunt, transtulimus, non secus ac supra, et posuimus dictum cranium vel caput, (cum præsentem instrumentum sub dicto pulvillo collocato,) in capsula lignea, deaurata per totum suum ambitum auro levigato, quatuordecim et dimidiam uncias longa, larga undecim, et novem alta, suffulta basi et dein quatuor globulis, ornata quatuor parastatis ad quatuor angulos distributis, duas uncias largis, trabecatione dorica per capsulæ ambitum tectis, et quadruplicate linea procurrentibus, instructa ad utramque partem collateraliter duobus vitris arcuatis, quatuor uncias longis, tres altis, tecta concamerato fastigio quinque uncias alto, et quatuor flammis (*vox lectu difficilior*) ad quatuor angulos, et interius colore rubro picta. (*Quæ acta sunt*), ut dictum cranium vel caput, sic translatum, collocatum et sigillatum, in posterum ut olim, exhibeatur fidelium venerationi in dicta ecclesia, potissimum in calamitatibus publicis, adversus quas speciatim majores nostri experti sunt ejus patrocinii faustos effectus et dictum concameratum fastigium in duabus ejus extremitatibus ob-signavimus ut supra.

83 Postremum, cum cæteras Sanctæ Godebertæ Reliquias, quales superius descriptæ sunt, cum præsentem instrumento in sacco serico colostrato, viridi, floribus aureis et argenteis consperso, cujus oras ut supra consendas mandavimus, et quatuor locis suturarum dicti sacci sigillum hujus ecclesiæ item ut supra apponi jussimus, prædictas Reliquias sic involutas et ob-signatas transtulimus et posuimus in capsula lignea, cooperta chartis cæruleis, viginti duas uncias longa, larga decem, culmine gallico sex uncias alto, duabus testudinibus instructo, tecta; quod culmen, utpote aperturam, ob-signandum mandavimus ut supra quatuor in locis, prius deponentes in dicta capsula sigillum integrum et quinque sigilli partes, de quibus dictum est in præsentem instrumento. (*Quæ acta sunt*), ut prædictæ Reliquiæ sic translatae, collocatæ et ob-signatæ in posterum ut olim exhibeantur fidelium venerationi in dicta ecclesia Noviomensi; et præsentem ceremoniam clausimus supplicatione intra ecclesiam facta cum omnibus prædictis Reliquiis; a qua reduces præcinimus et cantavimus hymnum TE DEUM; quem secutæ sunt horæ AD VESPERAS, cantatæ ut die festo Reliquiarum, et sub quibus dictæ sanctæ Reliquiæ manserunt expositæ fidelium venerationi. — Actum in dicta ecclesia, ubi subscripsimus præsentem instrumento cum omnibus viris in eo denominatis et cum multis civibus, postquam sigillum dictæ ecclesiæ apponi jussimus. — *Sequuntur centum et decem subscriptiones.*

84 Ut demum hunc de S. Mummolino Commentarium claudamus, pauca de ejus invocatione tum privata, tum publica memoranda videntur. Malrabnquius postquam meminit mortui a S. Mummolino ad Vitam revocati (de qua re diximus superius), pergit in hæc verba (*De Morinis lib. IV, cap. XXIV, tom. I, pag. 502.*): Non opus est e finibus nostris excedere: satis eo loco, qui pene jam

antiquo

D  
item cranium,

E

et cæteræ S. Godebertæ Reliquiæ; solemnitatis finis.

F

Explicatur miracula in Ecclesia S. Mummolini olim fieri solita, et cultus Au-damaropoli, Bologniæ, San-Quintinopoli, Bruggis, Gandæ, Ipris,

A antiquo nomine obliterato, non amplius Vetus monasterium, et sede ipsimet sacra, Mummolini nuncupatur, ejus sanctimoniam testata remanent in hodiernum diem vestigia. Siquidem in Belgio locus ipse hoc nomine advenis celebratissimus; qui illic pueris trimis, vel quadrimis pene obmutescentibus, vel praepecta lingua in articulatas voces prorumpere nesciis propitium faciunt Mummolinum: pro more a parentibus toti garruli domum reducuntur. Dominus Eustachius Thery summus Bertinensium quæstor, dum illic ageret, mihi testatus est, etiam Parisiis advenas eo donatos beneficio. (*Liquet hanc pietatem ortam esse ex nomine S. Mummolini, seu Mommoloni, vicino voci theotiscæ Mommolen, latine Mussitare, Mutire, gallice Grommeler.*) Apud Audomarenses celebrior est ejus memoria, et peculiare addictæ preces. In Divorum Litaniam invocatur inter Confessores Eligium et Erkenbodanem, velut is qui moribundis subveniat. Quod ad hunc tamen invocandi ordinem spectat, in Breviario Sant-Audomarensi anni 1518 et in renovato anni 1785 duplicem alium, utrumque prorsus diversum, reperio. Exulato vero S. Mummolini nomen non quidem ex antiquo Breviario, sed ex veteribus San-Quintiniani Litanis, similiter ex veteribus atque amplissimis Sandonatiensibus Brugensibus et Proprio Brugensi. Gaudet nunquam videtur fuisse cultus S. Mummolini, licet olim pars maxima civitatis diocesi Tornacensi subdita fuerit. Apud Atrebatenses recentior est S. Mummolini festivitas, atque ex conjunctione dioceseon Audomarensis et Boloniensis cum Atrebatensi videtur ortus. Anno saltem 1632 de eo istic non fiebat memoria, ut ex Officiis propriis hoc anno impressis nobis innotescit. At in Officiis, anno 1817 editis, occurrit ejus festum sub ritu semiduplici: lectiones eadem sunt ac illæ quæ in renovato Sant-Audomarensi exstant. Ipris vero, quas olim cum castello Menapiorum cepit diocesis Tornacensis, donec apud ipsos Iprenses medio sæculo XVI episcopus constitutus est, cultus fuit S. Mummolinus ritu duplici saltem ab anno 1629, ut ex Proprio intelligimus.

Tornaci et  
Noviomagi  
imprimis;

C 85 Usque ad iniens sæculum decimum septimum Tornaci, ubi neque olim, neque nunc ullæ servatæ fuerunt S. Mummolini Reliquiæ, (quantum ex antiquioribus scriptis Cousin, et ex nuperis Cl. V. Le Maistre d'Austaing (a), plura de S. Mummolini gestis, nihil de ejus lipsanis disserentibus, colligere queo), obscura videtur fuisse hujus Tornacensis episcopi sanctimonia; quin etiam in Officiis propriis Tornacensibus, anno 1591 Duaci excusis, S. Mummolini nomen abest a kalendario; sed in aliis anno 1626 Tornaci editis S. Mommolebius confessor et pontifex signatur: cujus rei causa est, quod anno tantum 1600, ut tradit Cousin in Historia Tornacensi (b), Michael II de gente Esnea, episcopus Tornacensis, in synodo habita in ecclesia cathedrali jussit S. Mummolini festum per universam diocesim celebrari; quod etiamnum obtinet. Nusquam autem majorem cultum olim habuit S. Mummolinus, quam Noviomii, ubi potissimum vixit, mortuus atque terræ creditus est. In Breviario enim Noviomensi anni 1630 festum ejus non tantum occurrit inter duplicia tertiæ classis, quæ aliis duplicibus minoribus præferuntur, verum etiam inter festa in diocesi Noviomensi ex præcepto Ecclesiæ ab omnibus observanda, in quibus servile opus facere non licet. Invocabatur quoque illic in Litanis, quæ Ordinis commendationis animæ pars est. Ut jam ad ipsa dioceseon Officia transeam, hæc præter lectio-

nes viz quidquam proprii habent. Unum Noviomense hanc antiphonam capit ad Benedictus:

Exequias Sancti tristes comitantur alumni;  
Plebs in lamentis, clerus proclamatur in hymnis:  
Quo certe strepitu cœli devexa replentur.

In secundis vero vespers ad Magnificat hanc alteram:

O pater et pastor, o præsul et alme sacerdos,  
Mommolene, preces Cliristo, quas reddimus,  
offer:

Abluat ut culpas, detergat crimina nostra,  
Quod sibi vivamus post mortem jugiter. Amen.

Antiqua Oratio hæc est: Deus, qui hunc diem Beati Mommolini Confessoris tui, atque Pontificis solemnitate consecrasti, præsta, quæsumus: ut ejus suffragia apud te sentiamus in cœlis, cujus hic pio amore solemniter veneramur in terra. Per. In quibusdam dioceseibus, ubi vel cultus recentior est, vel breviarium novatum, aliam legere est. At satis mihi fuit quæ vetustatem sapiunt proferre. Mitto insuper dicere de crebris mutationibus in lectionibus factis, potissimum Audomaropoli, ubi anno 1610 omnia fiebant de Communi Pontificis; Tornaci, ubi initio fere idem fiebat, etc. Ubique prope Missa Statuit legitur, ut eam exhibet Missale Romanum.

86 Cultus vero ipse ad sæculum X saltem referendus est; quoniam jam tum exstabat basilica S. Mummolini; quod liquet ex eo quod recentior biographus, qui hujus basilicæ meminit, loquitur quoque de sanctimonialibus S. Godebertæ; atqui jam vidimus (licet nonnulli ut Malbrancquius hac in re aliam ingressi sint viam) has sanctimoniales tantum usque ad medium sæculum decimum exstitisse. Hæc de cultu in Gallia et Belgio. In Germania vero, ubi natus est, nulla de eo sacra memoria unquam facta fuisse videtur. Ejus quidem gesta explanat Helvetia Sancta (c) et Gabriel Bucelinus in Chronologia Constantiæ Rhenanæ (d) quædam, erroribus immixta, quoque affert; at uterque prorsus silet de cultu. Initio hujus Commentarii diximus aliis diebus quam XVI Octobris S. Mummolini memoriam occurrere: imprimis Saussayus inter pios et sanctos nuntiat ordine alphabetico S. Mummolinum monachum Luxoviensem, licet S. Mummolinum Noviomensem episcopum jam XVI Octobris protulisset: uterque unus et idem est: ex Vita S. Audomari hunc monachum Luxoviensem absque dubio expiscatus fuerit. Memini jam num. 58 olim S. Mummolini elevationem die XXVII Aprilis in Martyrologio Noviomensi celebratam fuisse; præterea in duplici Martyrologio Benedictino Ms. atque inedito XVIII Maii nuntiatum festum S. Mummolini episcopi Tornacensis ac monachi S. Petri (primitus hoc nomen ferebat Sambertiniana aut Sithivensis abbatia) in diocesi Bononiensi (imo Morinensi aut Sant-Audomarensi). Inde editores Lovanienses Vitarum Sanctorum Butleri, qui hanc annuntiationem in Opere nostro ad XVIII Maii inter Prætermisissos repererant, suspicati fuerunt S. Mummolinum hac die fuisse translatum; verum non arridet hæc conjectura, quoniam ejus fundamentum, seu martyrologica illa annuntiatio nullius pretii est. Etenim ejus auctor nullius criticæ artis peritus erat; adeo ut continuo subjungat: Eodem die S. Ebertrami discipuli ejusdem (S. Mummolini), qui et ipse episcopus fuit post magistrum suum; quæ omnimode erronea sunt. Et quidem cum S. Ebertramus in paucissimis Fastis, qui ejus nomen habent, ad XXIV Januarii annuntietur, nusquam vero una cum S. Mummolino, credentem libenter eos in hoc kalendario una die prodire, quod S. Mummolinus et S. Bertrandus Conven-

D

E

et, licet saltem ad sæculum X ascendat, Constantiæ, in S. Mummolini patria, cultus ille non videtur exstitisse. Recensentur atiquot dies, quibus in Fastis sacris S. Mummolinus memoratur.

E

(a) Recherches sur.... l'Égl. cath. de Tournay, t. II, p. 19.— (b) Hist. de Tourn., lib. II, p. 123.— (c) P. 156.— (d) P. 116.

rum

A rum episcopus die XVI Octobris coluntur, et proin abbatem Sancti Quintini confusum fuisse cum episcopo Convenensi. Præterea S. Ebertrammum, cujus cultus recentissimus videtur, nondum ex terra levatum autumamus; deinde kalendarium illud medio sæculo XVII recentius est, utpote de diocesi Bononiensi agens; insuper confectum non est in agro Noviomiensi, sed in Germania; et demum omittit S. Mummolini nomen ad XVI Octobris; unde denuo liquet meram transpositionem esse.

De antiqua S. Mummolini imagine.

87 Ad S. Mummolini quoque cultum pertinere voluit Ghesquierus (a) imaginem quamdam hujus Sancti, quam secundum ectypum, insertum Annalibus Mabillonii (b), cupro insculptam post Commentarium de S. Mummolino exhibuit. Penes nos factus est Ghesquieri typus, eoque, utut imperfecto, nosmet ipsi infra uti sumus, quoniam operæ pretium visum non est novis impensis novum procurare.

S. MUMMOLINI



Invenerat Mabillonius hanc imaginem in codice Elnonensi cum formis S. Amandi Trajectensis episcopi, aliorumque qui hujus præsulis testamento subscripserunt, non secus ac S. Aldegundis, Malbodiensis abbatissæ, cui angelus S. Amandi celestem gloriam indicat. Cum autem Sancti nostri caput aureola cinctum illic exhibeatur, ejusque nomini præponatur Sancti titulus, atque insuper S. Amandus tabulam quadratam ad caput habeat, quæ Sanctum adhuc viventem denotat, ut Mabillonius (c) cum aliis bene multis statuit; scripsit Ghesquierus: Quam vero minime recens sit Sancti nostri ve-

(a) Act. SS., Belgii, t. IV. p. 412. — (b) Annal. Ord. S. Bened. ad ann. 675, lib. XVI. — (c) Ibid., § LVI, p. 478. —

neratio, abunde testatum facit Elnonensis codex antiquus, continens testamentum S. Amandi, cui Mummolinum subscripsisse ostendimus. Verum, ut quod sentio, libere fatear, dubium mihi maxime est, an codex ille Elnonensis antiquior sit, quam Vita S. Mummolini, quam continuo edemus; et proinde an quidpiam ex eo colligi queat de antiquitate venerationis hujus Sancti. Nam quod spectat ad tabellam quadratam, S. Amandi capiti postpositam, nihil ea hic probare videtur; quandoquidem S. Amandus, anno 679 mortuus, tamquam vivus exhiberi non potuit, cum S. Mummolinus, anno 683 aut forte tardius vita functus, S. Bertinus circa annum 700 mortuus, aliique, qui S. Amando superstites fuerunt, cultum ecclesiasticum nacti essent. Neque nova est sententia, non omnes imagines, tabulas quadratas ad caput exhibentes, pictas fuisse, dum Sancti aliique quos efferunt in vivis essent. Nam, ut alia exempla mittam, exculpendam curavit Papebrochius noster (d) S. Gregorii Magni imaginem, quam ipse minime opinatur pictam fuisse, dum Sanctus ille viveret, licet tabula quadrata capiti applicita sit. Præterea Sancti titulus et aureola, S. Mummolino hic concessa, nihil certi evincere possunt, cum Baudemundus, S. Amandi biographus, testamenti scriptor et monasterii Blandiniensis Gandavi abbas, Sanctus quoque illic agnominetur et omnium ornatisissimam aureolam habeat; licet in nullo, quod novimus, Martyrologio nomen ejus occurrat, eique Sancti titulus datus non sit Annalibus Blandiniensibus, nuperius a R. D. Vande Putte, tunc temporis collegii episcopalis Brugensis rectore, editis (e). Quare, etiamsi constaret codicem hunc ad eciens sæculum VII pertinere (nihil tamen statuit Mabillonius de vetustate picturæ et scriptio- nis), incertum tamen argumentum de vetustate cultus S. Mummolini inde deduceretur. Quod vero ad vestes ceterumque S. Mummolini habitum spectat, notatu digna est semilunaris in priore capitis parte tonsura, quam sæpius jam Hibernicam seu Scotticam nuncupavimus. De reliquis vestibus consulendus est præ reliquis Martinus Gerbertus in Vetere Liturgia Alemannica (f), in qua præclare pro more suo de vestibus sacris scripsit, et plurimas antiquas exhibuit formas. His annotatis, superest, ut jam edamus antiquissimam S. Mummolini Vitam, de qua in § I plura disseruimus.

## VITA

### S. MUMMOLINI EPISCOPI

NOVIOMENSIS ET TORNACENSIS

Auctore anonymo.

Ex vetere Ms. codice Noviomiensi.

Sancti patria; tirocinium vitæ religiosæ Luxoviense; predicatio, et commoratio in aula Clotarii II; digressus ad S. Audomarum; condit Vetus et Sithiense monasterium; fit Tornacensis et Noviomiensis episcopus; moritur.

Tempore, quo præcellentissimus rex Lotharius, Ludovici filius a, hæreditario jure Fran-

Tempore Clotarii III. S. Mummolinus et alii multi florent.

ciæ

AUCTORE  
ANONYMO.*d**e**vocatur in  
aulam Clota-  
rii II, et an-  
teactam vi-  
tam aperit;  
lege susci-  
pietur.**f**g***E***h**loco confor-  
tavit***F***i**k*

**A** *lege propa-  
gari* *b* *supple futu-  
ros* *c* *loco recu-  
sant* *Concionatur  
in Gallia,*

ciæ regnum gubernavit, dilectissimam Christi sponsam, sanctam videlicet Ecclesiam multimodo spiritalium filiorum germine contigit propagari. Resedata *b* siquidem divinæ respectu gratiæ persecutione, quæ tamdiu in Sanctos Dei desævieraat Martyres, suæ Christus Ecclesiæ quam plurimos coadunavit Confessores, quos si ipsa rabie tyrannica contigisset vixisse, eorundem Martyrum pro certo credimus \* fuisse consortes; quoniam, quia materialis gladii cessasset persecutio, ipsi tamen ob divinæ gratiam majestatis multo sese corporum suorum excruciatum martyrio: inestimabilibus namque insistentes jejuniis, multimoda inedia, multimodisque sese affligebant vigiliis, parentibus et amicis hilariter renuntiantes ad cœlestem solummodo remunerationem anhelabant.

**B** *loco recu-  
sant* *Concionatur  
in Gallia,*

Et in tempore *c* vir sanctissimæ religionis Momolenus nomine, a regione sua egressus, in Gallias cum duobus comitibus devenit, ibique instanter verbum Dei prædicabat. Egressus siquidem de domo patrum suorum ob divinæ gratiæ remunerationem, ubicumque poterat fidei catholice non cessabat evangelizare veritatem. Toto autem nisu ad palmam festinans pertingere martyrii Galliarum fines, ubi ferventiorum persecutionis gladium in Sanctos desævuisse compererat, audacter penetravit, diabolo et ministrorum suorum cruciatibus non refutans \* corporis sui materiam, si necesse esset, temporalem, quoad cœlestis patriæ, quam ardentem desiderabat, spiritualem adscriberetur hereditatem. Hac de causa voluptariam vitam spernens, elegit ad breve adversa pati, ut perenniter cum Domino regnare mereretur in cœlis. Ad cœlestis siquidem vitæ, quæ nunquam finietur, comparationem, Sanctis Dei Confessoribus nullius videtur molestiæ omni vitæ suæ tempore corporalem quotidie perpeti passionem. Quomodo enim mortis eos putandum est pertimescere periculum, cum ipsi sibimet, etiamsi desit persecutor, mortis propinare non vereantur poculum? Jejunare siquidem et sitire, vigilare quoque et nuditatem pati mortiferas corporum nemo dubitabit esse molestias, quas servi Dei pro minimo reputant, dum ad cœlestium gaudiorum anhelant præmia repromissa.

**C** *loco recu-  
sant* *Concionatur  
in Gallia,*

2 Hujus benignissimæ gratiæ causa Sanctus hic, de quo agitur, inspiratus, cum a mane usque ad vesperam prædicasset, pane tantum ordeaceo aqua cinerulenta composito reficiebatur. Postmodo vero si qua bibendi successisset necessitas, puræ ac solius aquæ poculum subsequebatur; et ad corporales edomandas illecebras, parva in dormitione tenuissimo graminis stramine prolecto utebatur. Prædicabat indefesse pauperibus confessionem et pœnitentiam, divitibus et palatio deservientibus sæcularem abnegare jactantiam, prædicabat impiis et infidelibus irremediabile supplicium, Deum autem timentibus vitam et requiem sempiternam. Edocebat omnes universaliter mundum cum omni sua concupiscentia perituro, regnum autem Dei, sicut ab ore Christi didicerat, in æternum mansurum; exhortationem suam evangelicæ confirmabat sententia prædicationis; cui, etsi objicerentur, nulla poterant figmenta obsistere argumentationis. Si quid enim in verbis suis alicui sentiebat ambiguum, ipso eodem in momento veteris seu novæ legis irrefutabile proferebat testimonium; quod autem prædicando aliis commendabat, ipse apostolicæ sententiæ non immemor, totis admodum viribus exequabatur, ut qui aliis æternæ remunerationis suggerebat documentum, suæ quoque ipsius conversationis imitabile præberet exem-

plum. Aderant ei duo Bertinus *d* videlicet atque Bertrannus *e*, qui secum de sua exierant regione. Hos ipse instanter honestissime suæ sanctæ prædicationis inflammabat exhortatione. Astabant etiam ei a mane usque ad vesperam cum innumerabili populi conventu regalis aulae proceres. Quorum quam plurimos ipsa Dei clementia per ejus infatigabilem prædicationem cœlicæ remunerationis grater postmodum adscripsit cohæredes ejus.

3 Sanctissimi patris nostri opinio longe lateque diffundebatur, et ubicumque perveniebat, Dei cui deserviebat gratia hilariter suspiciebatur. Pervenit tandem ad aures regis Lotharii *f*, qui tunc temporis arcem strenue regebat totius imperii *g*. Religiosorum igitur testimonio sancti Viri comperta relatione, suis eum conspectibus amabiliiter mandavit adesse. Quem ut vidit, benignissimo ut erat animo, quis, vel unde esset, sed et originis suæ seriem ab eo diligentissime cœpit percunctari. At ille ne recensendo prosapiam suam quolibet superbiæ fastu moveretur, originalem quidem nativitatis suæ lineam reticuit. Verum unde natus esset ad regiam interrogationem humiliter replicuit: Sum, inquit, tuæ servus dignitatis, civitate Constantia oriundus, illa siquidem Constantia, quæ non longe a flumine Rheno remota esse dinoscitur; a puero vero regularem sub Sancto Eustasio *h* abbate percurri vitam; cujus felix exhortatio multos ad remunerationem confortans \* sempiternam. Ipse quidem Sanctus Eustasius, famosissimi Christi athletæ Columbani discipulus, cum omni mentis instantia, commissum sibi prædicationis officium suum quod ab eodem magistro suo didicerat, omni nisu viriliter executus est. Cum ergo sub ejusdem abbatis Eustasii magisterio ad maturiorem pervenisset ætatem, Dei dispositione et ipsius ordinatione, hanc quam videre licet indigne cum his duobus confratribus meis suscepti peregrinationem; quod si quid in vinea Dei elaborare potuerimus, ad æternæ vitæ nobis proveniat remunerationem. Audierat siquidem quod et ipsi vidimus ex evangelica promissione: Qui me, inquit, sequitur, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Audierat quoque quod et nos in vera fide tenemus: qui non bajulat, ait crucem suam et sequitur me, non est me dignus. His et aliis a Viro Dei diligentissime peroratis, ab ipso rege quam familiariter est susceptus atque intra ejus palatium non parvo temporis spatio cum multa reverentia est conversatus. Quamquam tamen regiam divinitus adeptus esset familiaritatem, tumultuantis tamen populi adulationes cautissime devitans, super afflictis et pauperibus regiam indesinenter sollicitabat dignitatem. Parum aut nihil voluptatis humanæ Virum hunc infecit in palatio, quod alicujus austeritatis rigore indicari oportuisset in monasterio. Ipse quidem omnes diligebat, et ab omnibus amabatur; inter ipsas mundi concursionis officii sibi commissi ministerium inconcusse exequabatur. Sigillum *i* quoque regis habens, non multum de regia gloriabatur familiaritate; verum ecclesiis, viduis, et orphanis apud eundem Lotharium quam plurima officii sui subveniebat auctoritate; et licet a monasterio recessisset corporaliter, in palatio tamen positus, spiritualis sui ordinis propositum non negligebat. Erat sancto Dei athletæ duplex in palatio jejunii supplicium, cum et deliciosis utpote regis in domo interesset dapibus, et ab ipso sese alienaret usu deliciarum.

4 Aliquantulo *k* itaque tempore in regis domo transacto

AUCTORE  
ANONYMO.  
ubi aliquan-  
diu sancte  
commoratus,  
digreditur ad  
Sanctum Au-  
domarum,  
l

transacto cohabitatione, Sanctum Audomarum, qui tunc temporis Ecclesiae praeerat Teruanensi, multa ergo Morinos fatigari comperit praedicatione. Morini siquidem, circa maris littora inaccessibilibus paludum confisi munitionibus, vicinis sedulo non reverentur repugnare nationibus. Cum enim nullam a mari timeant hostium incursionem, circa manentis viciniae omnem prorsus pro nihilo reputant indignationem. Nec mirum si sibi adjacentibus praesumunt repugnare; quos, sicut a poetis *m* didicimus, ipsa quoque invicta Caesaris *n* virtus nullorum potuit debellare. Assueta igitur freti audacia, Sanctum quem praenominavimus Audomarum multa fremebant insania; audito nempe Christi nomine, admodum expavescebant; et tanquam surdae aspides, auditu obturato, verbum Dei se suscepturos omnes omnino abjurabant. Siquidem extremi homines *o* et in extremitate positi orbis terrarum, neque Dominum noverunt, neque tunc temporis alicui principali potentiae suberant; verum suis per omnia proni voluptatibus, quod cuique visum fuerat impune et irreverenter exequabantur. Cum itaque beatus Dei athleta tantam ejus populi audisset feritatem, tantamque adversus Sanctum Audomarum gentis illius rebellionem, toto mentis affectu corporalem in remissionem peccatorum suorum desiderans passionem, regi valedicens regiisque principibus, palmam jam martyrii se poene adeptum esse in secreto cordis non parum gloriabatur. Spirituali ergo divinus \* accinctus gladio, Sanctum cum suis confratribus adiit Audomarum, quatenus felici praedicationis divinae gratia sanctorum consortio adscribi mereretur animarum. Audierant enim quia frater fratrem adjuvans ambo consolantur. Audierant quoque quod alter alterius onera portando legem Dei adimplet, et gratiam divinam promeretur. Ideoque quia Sanctum illum in labore praedicationis adeo praecipuum compererant, ad supportationem ejus non sine multo palmae triumphatricis desiderio summopere festinabant. Accesserat etiam et aliud quoddam charitativae foedus dilectionis, quia videlicet Sanctus idem Audomarum compatriota eorum erat, Constantiae scilicet, de qua exierant, indigena civitatis. Advenientes itaque sanctos sanctus Dei pontifex gratanter et benevole suscepit; et eos in adiutorium sibi a Deo missos non deestimans, in messem Dominicam cooperaturos sibi post multam Deo gratiarum actionem redditam, gratulabunde ascripsit.

quem cum  
nonnihil con-  
cionando ad-  
juvasset,

5 Ipse tamen Sanctus Audomarum gentem illam Morinorum maxima jam ex parte cum multo licet labore ab idolorum revocaverat cultura, et aris eorum subversis, divinae religionis et ecclesiasticae institutionis ordines eos suscepisse non minimum gratulabatur. In adventu ergo Sanctissimi Mommoleni super quam sperari possit delectatus, cum eum benevole suscepisset, et libenter eum audiebat, et libentissime ab eo audiebat. Non est dubitandum tot et tantis viris divinam semper adesse clementiam, cum ab ipso Domini ore audierimus, ubi duo vel tres in suo nomine congregatos noverit, suam absque dubio interesse praesentiam; sermo siquidem eorum semper de Domino et de divinis erat institutionibus. Parum aut nihil, quod vaniloqui argui posset, inter eos disserebatur. A mane usque ad vesperam cum mutuae in Domino consolationi, tum institutionis euangelicae praedicationi, tum infirmorum curandis languoribus infatigabiliter insistebant. Post solis autem occasum pane tantum et aqua defessa refocillabant corpora; nocte

vero subsequenti permodico in cinere et cilicio somno reclinati, non sine multa difficultate tantas corporum suorum utcumque reficiebant molestias. Priusquam autem praedictus Dei famulus Mommolenus ad sanctum Dei pontificem pervenisset Audomarum, Sanctus idem Audomarum ob sanctae religionis propagandum ordinem, quoddam mente conceperat aedificare monasterium *p*, ubi religiosam ordinaret congregationem clericorum, per quos Deo pro universalium omnium salute ex debito quotidiana orationem psalmodia ac sanctorum placatio conservaretur hostiarum. Haec ea cogitanti divina non defuit clementia, quae et ei ferventior benignitatis devotionem inspiravit, et quod ex Spiritu Sancto praecogitaverat secundum desiderii sui effectum usque perduxit.

6 Erat siquidem ea in regione vir quidam Adrowaldus nomine, praediis et pecunia opulentissimus, saeculi hujus vanis plenus deliciis, ac saeculari jactantiae admodum deditus, et secundum suorum institutiones praedecessorum fantasticis deserviens cultibus idolorum. Virum hunc, quia non longe a Morinis aberat, et tamen Morinorum honorabilior erat, ante adventum Sanctissimi Mommoleni Sanctissimus Audomarum non sine multa praedicationis instantia ad catholicam converterat credulitatem, et eum jam baptismo per sanctae dextrae suae sanctificaverat impositionem. Suscepto itaque sanctae christianitatis signaculo, Adrowaldus divina subito animatus inspiratione, tum pro mutua praedicatoris sui dilectione, tum quia filiorum carebat successione, tum praecipue pro peccatorum suorum remissione, omnem suam haereditariam possessionem *q* Deo et Sancto Audomaro tradidit, sperans et pro certo credens sese pro transitoriae hereditatis largitione in perpetuum feliciter ascribendum esse. Ut ergo praefati sumus ante Sancti Mommoleni adventum in praedio illo quod vulgari nomine Sithiu vocatur, ipse sanctus pontifex Audomarum jam, Deo disponente, quamdam aedificaverit ecclesiam *r*, in qua ipsemet humanis postmodum aeternis exemptus gloriosam adeptus est sepulturam. Postquam vero aliquando temporis spatio sancti Dei athletae Mommoleni sanctorumque sociorum ejus Bertini videlicet atque Bertranni jocundissima confortatus est consociate, volens ulterius ab invicem separari, in eadem quam ei Adrowaldus dederat haereditate ad libitum suum conobile fratrum concessit eis monasterium aedificare. Beatissimi ergo Dei athletae in loco illo, quod hodieque Vetus dicitur monasterium, suam aedificare coeperunt mansionem.

7 Verum ibi paucis remorantes annis, divina praedordinante clementia, locum sibi eligere decreverunt aptiorem. Ne vero fatuitati seu ignaviae tam subita aedificationis suae imputaretur mutatio, quod mente conceperant divinae Providentiae commiserunt arbitrio. In stagnum siquidem, quod praedicto subter erat monasterio, sese navigio condonantes divinae sese providentiae absque ulla corporalis substantiae comportatione commendaverunt, ac cum multa cordis compunctione, quo usque sibi habitationis Deo dignae locus designaretur, numquam sese de navi egressuros voverunt. Circumferebatur itaque navicula Sanctorum per praefatum fluvium *s* absque ullo nautarum remigio. Vagabatur circumquaque omni subsidio destituta temporali, utpote quam soli summae divinitatis Dei athletae commendaverant voluntati, quam plurima lacrymarum effusione ora perfusi Deum compuncte sollicitabant, Dei devotissimis orationibus paternitatem non sine

praecor-

D

p

et Adrowaldus  
suam villam  
dedit, et  
prius condit  
cum SS. Ber-  
tino et Ber-  
tranno Vetus  
monaste-  
rium,

E

q

r

F

quo relicto,  
Sithiense  
construit,

s

A præcordialibus suspiriis admodum inquietabant, nullomodo se voventes de stagno egressuros, nullomodo se corporalem victum sumpturos, quoadusque, quem sibi Deus orationis locum præordinasset, eos attingere contingeret, quatenus ibi sanctissima Sanctissimi Spiritus inspiratione animati, divinis omni vitæ suæ tempore præceptionibus mererentur deservire. Sanctissima ergo Dei pietas famulorum suorum devotioni compatiens, cum tantis eos obsequii sui gratia pervidisset defatigari elaborationibus, sua ipsius gratuita benignitate ad certum eos mansionis desideratæ traduxit locum, ubi super fluvium Agnionem non multo post monasterium, quod Sithiu vocatur, instanter ædificare cœperunt. Relicta mox navicula, Sanctus Dei Confessor Mommolenus cum prædictis confratribus egressus ad terram, cum circumquaque locum habitabilem sibi pervidissent, quam plurima devotione Deo gratias agebant, unusquisque secundum Davidicum illud dicentes: Hæc requies mea, hic habitabo quoniam elegi eam. Paucis post tempore (non est enim invalida manus Domini) gloriosum ibi peractum est monasterium; in quo cum multa confluisset cœnobialis congregatio, sanctus pontifex Audomarus sanctissimum Dei athletam Mommolenum maximæ illi multitudini præordinavit t monachorum.

ubi rigide at-  
que pie vivit.

8 Cura igitur eorum suscepta, qui eo non parvi numeri confluerant, quanta sese sanctus pater Mommolenus parsimonia maceravit, quanta corpus suum jejuniorum, vigiliarum et nuditatis inedia cohibuerit, si ad plenum referri oportet, humanam prorsus excederet facultatem: adeo enim in his et aliis sese exercebat virtutibus, ut et commissis suis et aliis, ad quos nomen ejus pervenerat, quasi quædam gratiæ divinæ glorificatio videretur. Utebatur pro veste cilicio, corpus aqua sola et pane tantum sustentabat ordeaceo, orationi sedulo incumbens devotissimis cum lacrymis gratias divinæ semper majestati referebat. Commissæ sibi obedientiæ vir beatus non immemor, utilitati fratrum semper invigilabat in claustris fratrum; extra claustrum pauperum seu supervenientium necessitatibus insudabat, et secundum quod a sanctis canonibus acceperat hospitalitatem hilariter exequabatur. Quid plura? Paucis in tempore multos, qui adhuc prophanis gentilitatis deserviebant illusionibus, ad idolorum fallaci convertit cultura, quos sacrosanctæ professionis signaculo præmunis ad æternæ vitæ postmodum Christus introduxit premia sempiterna. Largissimus ergo bonorum operum retributor Deus contra diabolicas reluctationes indefessam beatissimi patris Mommoleni aspiciens pugnam (oculi enim Domini super justos), almificis eum signis ac virtutibus remuneravit. Cæcis siquidem visum, surdis auditum, multimodam sanitatem per sacræ manus ejus impositionem corporibus restituebat paralyticorum, leprosos seu elephanticos non exhorrebat, immo tanquam uterinos filios contractans, saucia eorum corpora balneis benigne refovebat.

Mortuo vero  
S. Eligio suc-  
cedit S. Mummolenus,

9 Contigit eo in tempore gloriosissimum Dei Confessorem Sanctissimum videlicet Eligium, Noviomensis seu Tornacensis Ecclesiæ pontificem, post officii sui felicissimam consummationem de mundo emigrare, et ecclesiam sibi commissam, tanquam naviculam, quæ sine remigio est, inter mundanas tempestates aliquandiu fluctuare. Tanto prærepto pastore, oves circumquaque vagabantur; filii, patre decedente, suspirabant et lacrymabantur; unanimes omnes voce super deso-

latione sua Dei piissimam benignitatem sollicitabant: jejuniis tandem et orationibus eorum Dei omnipotentis reflexa misericordia; (prope est siquidem Deus omnibus invocantibus se;) sacrosanctæ gratiæ suæ respectu populum suum consolari dignatus est. Abstractum namque non sine obedientiæ impositione ab ecclesia, quam prænomina- vimus, nominatissimum pastorem sanctæ Noviomensis seu Tornacensis Ecclesiæ sanctum patrem Mommolenum providum divinitus delegavit successorem. Erat siquidem pastor ipse mitis, alloquio providus, in consilio devotus, in orationibus, in vigiliis et jejuniis strenuus, prælati benevole subditus, subditis amicablem imperans, bonis insistens operibus, vitiis indefesse repugnans, et solius divinæ pietatis gratiæ tyrannicis principum infestationibus viriliter resistebat. Sic itaque plebs illa secundum Dei athletam Mommolenum pontificem sibi, Deo disponente, unanimiter et elegit et habere promeruit, tum quia et latina et teutonice præpollebat facultia; tum præcipue quia divinarum institutionum eum instructum audierant documentis. (Ecclesia siquidem Noviomensis romana vulgariter lingua, Tornacensis vero teutonice majori ex parte utitur; utraque autem eruditiori Latinorum eloquio, sicut gratia hæc concessa fuerit, ad plenum respondere dinoscitur u). Quia ergo tot et tantarum linguarum peritum eum noverat, tum quia gloriosissimæ suæ vitæ conversationem audierat, præcipue vero quia eum in sibi commissæ pastoralitatis officio infatigabilem compererat, non sine multa obedientiæ impositione a monasterio abstractum sibi populus ille suscepit in pastorem, non minimum gratulatus sanctissimo prædecessori honestum sibi in Deo providisse successorem.

AUCTORE  
ANONYMO.

E

u

10 Suscepta igitur ecclesiæ prælatione, Beatissimus Christi Confessor Mommolenus, regularem ecclesiastici ordinis tenorem viriliter exequabatur; regiam institutionis divinæ viam incedens, raro aut nunquam ab ea deflectebat, in officio suscepto impiger semper et hilaris perseverabat, modestis modestus, pravos et rebelles justæ virga severitatis corrigere non negligebat. Erat ei semper præ oculis dies admodum tremenda futuri judicii; retractabat secum et aliis prædicabat divinæ amplectendam gratiam retributionis. Impenitentibus et quos Deo rebelles noverat pro certo intentabat æternæ supplicium damnationis. Infatigabili prædicatione infideles et incredulos ad fidem confortabat, et bono suæ conversationis exemplo ad peccatorum promerendam remissionem strenue informabat. Mirabantur in eo prudentes sæculi tantam divinæ inspirationis requiescere gratiam; æmuli illius detractores, cum eum audissent, aut convertebantur, aut cum multa ignominia confusi diffugiabant; unde factum est, ut multi per ejus instantissimam prædicationem ab idolorum cultura converterentur: et abrenuntiato profanæ gentilitatis errore, per impositionem sanctarum ejus manuum sacrosancti baptismatis lavacro se sanctificatos esse non minimum gratularentur; nemo siquidem sapientiæ ejus resistere poterat, neque spiritui qui in eo loquebatur. Erat ei circa monasteria solertia indicibilis, circa pauperes et egenos compunctio inastimabilis, circa hospites et extraneos charitativo admodum mentis affectu profuse utebatur; humilibus humilis; superbis (quia eorum viriliter confutabat superbiam) superbus nimium videbatur. Irreverentibus siquidem quadam vultus cervicositate pertinax vide-

latina et teu-  
tonica lin-  
gua peritus;  
et cum vigin-  
ti sex annos  
omnia epi-  
scopi munia

F



AUCTORE  
ANONYMO.

inter medias  
omnigenas  
virtutes ex-  
plevisset

B

et morti pro-  
ximus ele-  
rum monis-  
set, pie mo-  
ritur et se-  
petitur.

C

x

y

batur; cordis autem ejus non ficta serenitas, quacumque hora ingemissent, leniter eos demulcebat et consolabatur; et licet benigno mentis affectu Deum timentibus esset valde amabilis, hæreticis tamen et infidelibus aspectu et incesso non parum metuendus videbatur et terribilis.

11 Omni seposita carnalium voluptate deliciarum, totum se transfuderat ad æternarum desideria recompensationum. Exterioris hujus hominis speciem ipsam veræ sanctificationis expressam æstimares imaginem; in humanitate siquidem profusus, in doctrina præcipuus, paratus in sermone, multimodo probitatis ornatus erat honestate. In hoc Dei sacerdote, de quo præsens agitur sermo, ipsam patris nostri Abrahamæ formam intueor. Abraham enim, secundum divinam promissionem de domo patris et cognatione sua egressus, in terram quam ei Deus demonstraverat, factus est in gentem magnam; hic autem paterna postposita hæreditate, voluntario in exilio multam Christianæ religionis Deo præparavit Ecclesiam. Abraham secundum quod de Maria Virgine audivimus: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, in monte quem ei Deus designaverat, seipsum Deo, (quia se in filio, etsi non actu, animo tamen) obtulit; Sanctus vero Mommolenus in sublimitate spirituali præordinatus seipsum Deo sacrificium justitiæ immolavit. Abrahamæ, post victimam oblatam domum reverso, famuli domus et omnis ejus vicinia gaudentes occurrerunt; hunc vero Dei athletam post cursum feliciter consummatum Angeli Sancti suum in consortium receperunt.

12 Peractis enim viginti et sex annis, postquam pontificalem adeptus est cathedram, cum divino in gazophylatio prædicationis suæ multam coacervasset spiritualem animarum pecuniam, gravissima corporis admodum infirmitate depressus, ut sibi exequialem sensit terminum instare, suos sibi discipulos assistere mandavit: Novi, ait, filio, extremum mihi diem imminere, et quia ad præsens a vobis separari habeo, charitatem me vestram amodo diligentius oportet commonere. Si igitur vicariam meam pusillanimitati rependitis dilectionem, futuri judicii præ oculis semper habeatis justissimam examinationem, quia ibi et justi præmia meritorum, et iniqui suam suscepturi sunt condemnationem. Oportet itaque, fratres, ad eandem nos discussionem diligentissime præparari, ne nos imparatos dies illa inveniat supremæ ultionis; ab illa siquidem hora nemo de Dei præsumere habet misericordia: ulterius enim nulla condemnatis sperari potest indulgentia. Cautissime igitur et diligenter ultimam patris vestri retractate commonitionem, quo in tremebunda illa examinatione vitæ perennis felicissimam a Deo promereamini remunerationem. Curam ei nostrarum commendo animarum, ejus salutifera passio nostrorum absolvat vincula peccatorum; et ecce vobis præsentibus in manus ejus Redemptoris nostri commendo spiritum meum. His ita peroratis, cum sacrosanctam universalis nostræ suscepisset Eucharistiam redemptionis, inter ipsas gratiarum actiones ultimum populo valedicens, spiritum exalavit. Sic igitur felix ejus anima corpore soluta putribili de terris evocata, collocata est in cælis, et Sanctis consociata, Deum collaudat cum Angelis. Quia vero civitas vivorum dicitur non mortuorum x a discipulis suis post multam lacrymarum effusionem extra muros ante portam aquariam in ecclesia Sanctorum sepultus est Apostolorum y. Ibi frequenter multa præstantur beneficia incommodi-

tibus miserorum, ægri multoties per hujus patris nostri piissimam intercessionem inibi sanantur, et peccatores vinculis absolvantur delictorum ad laudem et gloriam Jesu Christi Domini nostri, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

## ANNOTATA.

a Lotharius, Ludovici filius, idem est ac Clotarius III, ut in § 1 Commentarii prævii monuimus; ubi fuse declaratum fuit, quomodo is locus interpretandus esset.

b Hæc omnia ex Vita S. Eligii deprompta esse docuimus num. 6 Commentarii prævii.

c Eo in tempore scilicet cum persecutio non amplius sæviret, circa annum forte 614, egressus est e patria S. Mummolinus, venitque Luxovium in Burgundia; inde aliquandiu ante annum 628 perrexit ad aulam Clotarii II; de qua re vide § 11 Commentarii prævii.

d S. Bertinus, de quo sæpius dictum est in Commentario prævio, colitur die v Septembris; ad quam diem fuse de eo egit Stillingus noster.

e S. Bertrannus, seu Ebertrannus ut Sanctus habitus fuit a Molano (a) et a Bollando (b) ad diem xxiv Januarii; Gallia Christianæ persecutores (c) ei Sancti titulum denegarunt. Verumtamen ab anno 1785 in diocesi Sant-Audomarensi, et ab anno 1817 in diocesi Atrebatensi, ejus cultus certus est, ut liquet ex Breviario Audomarensi et ex Proprio (d) Atrebatensi, quæ Officium ejus capiunt.

f Agitur hic de Clotario II, qui anno 628 obiit. Confer Commentarium prævium § 11.

g Theodorico Burgundia et Austrasia rege mortuo, ejusque filio Sigeberto et universa familia exterminatis, monarchiam seu totius imperii arcem obtinuit Clotarius II anno 613.

h S. Eustasius, in exilium profecto S. Columbano, anno 610 abbas Luxoviensis factus est; ut in Commentario de S. Gallo num. 54 jam traditum fuit.

i Regium sigillum frequenter olim in Gallia et alibi locorum clericis creditum fuisse neminem latet. Conscripti Lanovius opusculum de Sanctis Franciæ Cancellariis; Cangius, in Glossario latinitalis mediæ ævi ad verbum Cancellarius, edidit ex variis catalogum cancellariorum sub secunda et tertia stirpe; et Benedictini monachi, in ejusdem operis recognitione ad verbum Referendarius, catalogum eorum, qui simile munus sub prima stirpe obierunt; jam antea Mabillonius (e) talem recensionem a primis temporibus fecerat. Nusquam tamen hic prodit S. Mummolinus; quod mirum non est ob rationes, quas ex Mabillonio (f) facile discere est. Neque ab hoc officio deturbandus est S. Mummolinus, quod Rothbertus in Actis S. Ausberti et S. Angadrismæ, et Romanus Rotomagensis in Gestis ipsius Clotarii II regium annulum sub hoc monarcha gessisse dicuntur; quandoquidem, ut laudatus Mabillonius docet (g), ex authenticis instrumentis constet, plures olim referendarios seu cancellarios regibus Francorum fuisse.

k Vitæ recentiores, quas præ manibus habuit Ghesquierus, omnino aliter aliquantum id tempus determinant: Vir Domini Mommolenus, hæc ibi leguntur, cum suis sociis (Vita antiquior nihil de sociis in aula Clotarii versantibus habet) a rege honorifice est susceptus, et longo tempore intra regis palatium summa diligentia subrogatus. Post longum autem temporis intervallum præmemorati viri, ut longe lateque verbum vitæ spargerent, S. Audomarum tunc Teruanensem episcopum adierunt. Dubium esse nequit quin lectio an-

(a) Natales SS. Belgii ad xxiv Januar. — (b) Act. SS. t. II, Januar., p. 604. — (c) T. IX, col. 1040. — (d) P. 41. — (e) De Re Diplom., lib. II, cap. XII. — (f) Ibid., loc. cit. — (g) Ibid., cap. XI.

tiquior

A *tiquior melior sit, cum Clotarius II anno 628 vita sit functus, et S. Mummolinus, circa finem sæculi VI, ut videtur, natus, junior esset quam ut diu in aula Clotarii versari potuerit. Quid vero egerit Sanctus Mummolinus inter obitum Chlotarii II et suam ad S. Audomarum digressionem, difficile determinare est; quoniam, ut § II Commentarii prævii ad Vitam S. Audomari ostendit Stillingus, incertum est tempus S. Audomari episcopatus, cujus quidem initium inter annum 628 et 638 vagatur. Pro libitu hac super re quisque conjiciat. Confer tamen quæ inferius in hac Vita num. 4 dicuntur.*

I Morini, gens clara apud historicos, sat multa subministrarunt Malbrancoquio gesta, quam ut eis egregium suum opus de Morinis tribus voluminibus conderet: in quorum primo (a) egit hic annalista de Morinorum nomine, variamque proposuit etymologiam. Licet proximis temporibus Ol. V. Raepsaet inierit sententiam, repetendum esse hoc nomen a theotisco seu flandrico vocabulo Moer, terram cœnosam referente, magis tamen vulgo assentiunt eruditi Malbrancoquio, qui illud deducit a Mor, etiamnum apud inferiores hodiernos Normannos mare significante; cum hodieum maris accolis nomen Morins apud dictos Normannos mereatur. Quod vero in S. Mummolini Vita, non est cur fidei negemus. Tres scilicet S. Audomari Vitæ, a Stillingo editæ, hac in re consonant; et quidem Malbrancoquius, (ut Stillingi aliorumque dicta mittam,) licet olim SS. Fuscianus et Victorius et dein S. Victricius Rothomagensis episcopus hanc Dominici agri partem sedulo excoluissent, non dubitat ad annum 622, quo Dagobertus a patre suo Clotario II Gallia regnum adeptus erat, hæc promere verba: Vident in Morinis omnem exutum propemodum pietatem, quam pessumdarent morum feritas, idola colendi obstinatio... Qui rerum status ortus videtur ex diuturniore absentia episcoporum a Morinens, dein Teruanensi et Boloniensi sedibus; quæ brevi post in unam coaluerunt, electo in episcopum S. Audomaro.

m Nullus dubito, quin hic altudat biographus ad versum 727 libri VIII Æneados, licet Virgilius, nedum Morinos invictos illic prædicet, eos inter debellatas a Romanis gentes computat. Æneæ scilicet clypeus, a Vulcano confectus, cum exhibit futura Romanorum fata, immuneris quoque de barbaris victorias sibi appetitas habet; quocirca ibidem

..... incedunt victæ longo ordine gentes,  
Quam variæ linguis, habitu tam vestis et armis.  
C Hic Nomadum genus, et discinctos mulciber Afros,  
Hic Lelegas, Carasque, sagittiferosque Gelonos  
Finxerat. Euphrates ibat jam mollior undis,  
Extremique hominum Morini, Rhenusque bicor-  
nis,  
Indomitique Dahæ et pontem indignatus Araxes.

n Julius Cæsar, qui absque dubio hic indigitatur, prima quidem in Morinos impressione, quam Malbrancoquius (b) ad annum Urbis conditæ 697 refert, non debellavit Morinos, quod in silvis et paludibus se continerent. Verum non ita multo post ex magna parte Morinorum ad Cæsarem legati venerunt, qui se de superioris temporis consilio excusarent..., seque ea, quæ imperasset, facturos pollicerentur (c). Rebellarunt quidem deinde plures e Morinis; qui quum propter siccitatem paludum, quo se recipere non haberent, quo per fugio superiori anno fuerant usi, omnes fere in potestatem Labieni venerunt (d), quem Cæsar adversus eos miserat. Mitto sermonem facere de tumultibus pacationibusque Morinorum sub Cæsaris successoribus.

o Eadem fere verba in Vitæ S. Audomari habentur; in quibus tamen nihil statuitur de vaga Mo-

rinorum libertate, qua nulli principali potentia ineunte sæculo VII subfuisse dicuntur. Equidem neque Sancti Audomari biographos hæc prætermit- tentes, quoniam Morini jure censendi sunt Neustria pars, neque S. Mummolini biographum hæc asseren- tem redarguam, quoniam manifestum est principa- tum Francorum regum in populos, silvestrem fere vitam in paludibus et nemoribus agentes, facto ina- nem ferme fuisse.

p Hæc et sequentia conformia sunt Vitæ S. Au- domari, a Stillingo editis, aliisque quarum fragmen- ta citat ecclesiæ Sant-Audomarensis defensor (e). Quod imprimis notandum est, consonant omnes hæc Vitæ in ordine gestorum; qui ordo, a Mabillonio aliisque impugnatus, restitutus fuit a Stillingo in Commentario de S. Bertino (f). Hæsitat Cl. V. Guérard (g) inter Mabillonium et Stillingum; verum si cedat utriusque auctoritas, et veterum tantum maneant testimonia, dubium non est, quin Stillingi prævaleat sententia.

q Altera Adroaldi donatio omnigenos jam tulit impetus a memorato scriptore Sant-Audomarensi (h), omnes intendente nervos, ut hanc donationem concu- tiat. Mitto quas ipse suspicandi rationes nuncupat, satis mihi dicens tria falsitatis certa argumenta, ut loquitur, diluere. Primum est, diplomate hujus donationis destrui donationem S. Audomaro jam factam; verum omnino contraria deberet esse con- clusio, cum culpatum instrumentum habeat: Dono vobis omnem rem portionis hereditatis meæ, in pago Taruanense, quam Domino patri Audomaro, apostolico viro, ad xenodochium suum ædifican- dum dare volumus: sed ipse salubre consilium nobis donavit, ut ipsam rem vobis delegarem, ut ibi monasterium, etc. Secunda exceptio petitur ex his verbis: Sed ipse salubre consilium nobis do- navit. Monasterium scilicet condere salubre consi- lium non est, cum xenodochium utile censetur: quæ ineptior objectio est, quam ut refelli mereatur. Ter- tium autem argumentum sic fere conficitur: certum est S. Mummolinum Sithivensis cenobii primum abbatem fuisse; quam propositionem multis invictis- que probationibus stabilit; verum quam ex ea promit conbusionem nemo admittet: etenim ex eo, quod abbatialis dignitas postulasset, ut S. Mummolinus in hoc diplomate primus nuncuparetur, non autem secundus (quod tamen fit in Folquini chartulario), sequitur initium-diplomatis mutatum fuisse, non autem ipsum diploma esse supposititium.

r Ecclesia est S. Mariæ Audomaropolitana: plura vide de ea apud Stillingum in Commentario de S. Bertino (i).

s Agnio, gallice l'Aa; quæ vox aquam significat. t In Commentario prævio § III fuse cum Stillingo de abbatis munere, quod S. Mummolinus in Sithi- vensi monasterio gessit diximus.

u Quæ parenthesi inclusa sunt, interpolatio vi- dentur.

x Ubi id dicatur nescio, nisi hæc phrasis, mutato uno vocabulo, referat versum 38 cap. xx Evangelii secundum Lucam: Deus autem non est mortuo- rum, sed vivorum, omnes enim vivunt ei. Cæte- rum lex XII Tabularum: In urbe ne sepelito, neve urito, notissima est. Confer Concilium Bracarense anni 561 can. XVIII cum Annotatis Josephi Cata- lani (k), et Commentarium prævium § 1, num. 8. In Gallia hæc leges omnium primo labefactæ fuerunt in gratiam regum Francorum; et quidem ut eos taceam, de quibus ambigi potest an reapse in civita- tibus humati fuerint, Chilpericus II terra conditus est Noviom, ut legere est apud plures priscos histo- ricos; quos vide apud D. Bouquet (l). Sed inde ni- hil, ne quidem in favorem episcoporum, concludere licet.

y Confer Commentarium prævium num. 55.

(a) De Morinis, t. I, p. 3. et seqq. — (b) Ibidem, p. 91. — (c) C. J. Cæsar, De Bello Gallico, lib. IV, cap. XXII. — (d) Ibid., cap. XXVIII. — (e) Vérité de l'église de S. Omer, p. 393 et seqq. — (f) Act. SS., t. II Septemb., p. 559 et seqq. — (g) Cartul. de S. Bertin. Préface, p. xxxii. —

(h) Vérité de l'église de S. Omer, p. 71 et seqq. — (i) Act. SS., t. II Septemb., p. 565 et seqq. — (k) De Aguirre Concil. Hispan., t. III, p. 181 et 187. Edit. Roma- nae 1753. — (l) Recueil des Historiens de France, t. III, p. 572, 655, 671 et 698.